



CLYPEVS LAVRETANVS

aduersus

HAERETICORVM SAGITTAS.

AVTHORE

ABB. LVDOVICO CENTOFLORENIO

S. T. ac I. V. Doctore,

Et in Romana Curia

ADVOCATO.



Dono datus ab Authore P. franc.co ab Annunciat.ne
qui in Bibliotheca Romana
Scholar. Piaru
Publice tradidit commoditati, ac usui

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal.

I. B. Episc. Cam. Vicesg.

Imprimatur.

F. Reginaldus Luccarinus Sac. Pal. Ap. Mag.



Romæ Typis F. Caballi 1643 Superiorum permissu et cum Priuilegio in calce Operis

Sanctissimo D. N.

VRBANO VIII PONT. MAX.


Ludouicus Centoflorenius Fel.


VB auspicijs non tantùm LAVRETANAE VIRGINIS, cuius erit, Domus suæ veritatem ab illam oppugnantibus vindicare; Sed etiam tuis (B. P.) quem ad reprimendos Hæreticorum conatus præstantissimum Deus Ducem adsciuit, hæc Clypeata Turris erigitur. Sanctitati tuæ, cuius ab ore anceps in hæresim gladius exit, LAVRETANVM offero CLYPEVM, vt terribilior

lior hoſtium oculis obuerſetur, tuo auguſtiſſimo inſignitus Nomine. In hoc non Leonino capite exculptus terror, vt in Agamennonis; Sed Leonis Dauidici Vicaria poteſtas: Non Neptunnus, vt in Argolicorum; Sed Petrus alter Nauiculæ inſidens ſuæ. Non Pallas, vt in Traianorum, aut quid ſimile in Clypeis Poetico confictum auſu; ſed ipſa Sapientia, ipſa Veritas, qua omnia vincuntur, extabit: Tuiquè Nominis collucens lumine, propellet ictus, & impellet; nec tam contortas hoſtium Sagittas propulſabit, quàm eius ſplendore repercuſſo Aduerſariorum oculos obtundet. Et ſi aureus Ducis Clypeus, ad ſolis radios inardeſcens, inſtar Cometæ, fugam hoſtibus portendebat, & clades; non imparem ſibi vim Clypeus hic ſperat, in quem ſolares vibrabis tuæ radios Maieſta-

tis,

tis. Cæterùm non ego cum Epaminonda aut Clypei, aut personæ casum timeo; Certam etenim, ac gloriosam, tanto præsertim sub patrocinio, victoriam sperare licet, vbi Religio, Authoritas, Veritas prælientur. Sanctitatem tuam Ecclesiæ suæ diutissime seruet Deus.



Emi-

Em.^mo ac R.^mo D. Card.^li

ANTONIO BARBERINO

S. DOMVS LAVRETANÆ PROTECTORI.

Ludouicus Centoflorenius Felicit.



AVRETANÆ DOMVS Veritas (EMINENTISSIME PRINCEPS) se ipsam tuetur. Pugnandum tamen, Pugnandum: & ab Hæreticorum ætatis nostræ iniurijs vindicanda. Ob quam rem non Illi tantùm, quem sibi in terris cælestia cuncta elegerunt tutelarem; sed tibi quoque, cui præcipuè tantæ Domus est credita defensio, LAVRETANVM offero CLYPEVM. Purpuræ illum Tuæ superindui non dedigneris, quem per me parari dedignata non est ipsius Veritatis

tis

tis Virgo Parens. Domum Nazarenam verè Floridam Apes tueantur, quarum Prouincia Flores. Volanti Milite Domus illa valletur quæ, cælestium alarum remigio longè peregrinata, tandem Piceno consedit in littore. Sentiat Hæreticus, Barberinas Apes non aculeis dumtaxat vulnera infligere, verùm etiam tutelaribus, quibus defendimur, alis Catholicæ Religionis hostes insectari. Non ego Spartanum illud indico: Aut cum hoc, Aut in hoc; felicissimum enim, Drusi Imperatoris exemplo, Apum auspicium victoriam pariter promittit, ac triumphum. Vale, & viue feliciter.





PRAEFATIO
ad Lectorem.



VDIERAM (candide Lector) Hæreticorum aliquot hac nostra ætate non defuisse, qui in Almam Laureti Domum ausu planè impio, ac sacrilego maledicta plurima contulerint: Nosque Domum illam venerantes, in qua salutis nostræ extitere primordia, adhuc vehementer confictis probris derideant. Verùm, cum ignorarem, quænam ab ipsis potissimum obijcerentur, cum se se mihi primùm præbuit occasio colloquendi cum Adm. R. Padre ex seueriori B. Francisci familia, quam Capuccinorum appellant, Fratre Didaco à Ciuitate noua; amantissimo quidem Ciue meo, suæque Religionis in Sabaudia Prouinciali, Apostolicisque Missionibus apud Geneuenses vigesimum iam annum Præfecto, illum rogaui, vt, ijs permittentibus, penes quos est facultas, quæ impiè dicta in sacram Laureti Domum in diuersis codicibus dispersa inueniret, ad me transmitteret exscripta, cum præcipuis, quibus nituntur, contumeliarum fundamentis. Quod quidem humanissimè, ac diligentissimè præstitit, transmissis oppugnationibus, ad triginta duo redactis capita. Vnde mihi non leuis ansa data est, deridendi aduersariorum leuitatem, animaduertenti, ab illis omnia prorsus negari, nonnullis in medium adductis causis, quas, si tu lector expende-

ris,

ris, te mihi socium in eorum derisionem adijcies: Indeque factum, vt qui ea de re nonnihil scribere decreueram, perlectis eorum obiectamentis, respondendi pene consilium abiecerim. Quorsum enim laborem vltrò subirem, vnde nulla cùm Catholicis, cùm Hæreticis æmanasset vtilitas? Non Catholicis, quia apud hos, qui hæc optime norunt, nihilque ambigunt, veritate semel reperta, vlterius discutere, mendacium esset affectare: & in meridiana luce lumen adhibere vel exiguum, dementia censeretur. Non Hæreticis, quia hi Iudaicæ emulatores peruicaciæ, vt S. Pontifex Hormisda egregiè aduertit, eius sunt propositi, vt velint potius dubitare, quàm credere: certare, quàm nosse: sequi dubia, quàm seruare decreta. Re tamen maturius perpensa, respondendum omnino censui, tùm ad Pusillorum scandalum, deceptionemque vitandam, tum ad ipsius rei veritatem dignoscendam magis secundum Diui Augustini doctrinam, aientis:* Multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine agitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur. Tum demum, quòd singularis meæ Prouinciæ in S. Domum pietas hoc à me suo quodammodo iure videtur exigere. Repetitis hanc ob causam veterum Hæreticorum decantationibus non multum restiti, quando illæ exactissimè fuerunt ab alijs pertractatæ, easque victrix semper Ecclesia tutis propulsauit antidotis. Veterum precipuè testimonia in medium protuli, & oppugnata capita declaraui quòd potui clarè, exilique verborum apparatu; non eorum immemor, quæ D. Hieronimus ait:* De Hebraicis scriptis disputantem, non decet, Aristotelis ar-

In Ep. ad Iustinum Imperat.

Lib. 16. c. 2. de Ciu. Dei.

Tom. 3. q. 2. ad Damasum.

✠✠ 2 gu-

gumenta conquirere, nec ex flumine Tulliano eloquentiæ ducendus est riuulus, nec aures Quintiliani flosculis, & scholari declamatione mulcendæ: Pedestris, & quotidianæ similis oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat. ★ Hactenus ille. Proindeque, si quid tuis ingratum auribus perlegeris, excuses opto: & quod sentiebat Simonides, rei substantiam, non accidentia, velut Apis argumentosa, decerpe.




S. DOMVS
LAVRETANA.



ATALIS est B. Virginis Ædes, cælesti Nuncio, diuinęque Sobolis conceptu inclyta. Hęc Nazarethi olim magno in honore, ac veneratione habita, & ab Helena Augusta Templo circumdata, die 6. Maij anni 1291. in Europam primò inter Tersactum, ac Flumen Dalmatiæ Oppida: deinde in Italiam, ac Picenam Prouinciam 10. Decembris anni 1294. in Recinetensis Agri siluam piæ fœminæ, Laureta, nuncupatæ, à qua & nomen accepit, diuinitus transuecta est: fundamentis iterata diligentissima inquisitione recognitis, Nazare-

thi

thi relictis. Tandem, loco, eodem anno antea in Collem, ac postea in publicam eiusdem Agri viam commutato, in eo, quem sibi delegit, trecentorum, & octo supra quadraginta annorum spatio maximis, innumerisque à Deo signis illustrata, ab vniuerso Catholico Orbe religiosissimè colitur.



IN-

SAGITTÆ HÆRETICORVM

Contra

S. DOMVM LAVRETANAM.

I.



Rimum Lauretanæ Historiæ Scriptorem ostendere, barbariem tunc temporis non minus de literarum elegantia, quàm de veritate triumphasse.

II.

Non probari Nazarethi extitisse Domum titulo Annunciationis Beatissimæ Virginis insignem.

III.

Annunciationem contigisse in Domo S. Iosephi, non autem Beatissimæ Virginis ex Euangelista, referente, S. Iosephum voluisse dimittere eam: & Nicephoro, dicente, illam cum Ioseph domicilium habentem lætum accepisse Nuncium.

IV.

Non constare de Translatione aliàs incredibili S. Domus.

V.

Antiquiores Historicos de hac Translatione non meminisse.

VI.

Ecclesiasticos Præsules, in seculari illius Ciuitatis regimine, in quod de facto se ingerunt, interesse habentes, nullam fidem in hoc mereri.

VII.

Attestationes Romanorum Pontificum, Primatum sibi vniuersalis Ecclesiæ vsurpantium, sufficientem Miraculi fidem non facere.

Me-

VIII.

Meliorem, ac saniorem Europæ partem Miraculo semper contradixisse.

IX.

Ipsosmet S. Domus Ministros adeò de veritate Translationis dubitasse, vt de illa Dæmones in obsessis requisiuerint.

X.

Tabulas votiuas miraculorum, etiam Dæmonibus familiarium, non bene in confirmationem S. Domus afferri.

XI.

Oblationes, ad excitandos oblatores effictas, & inscriptionibus ostentatas, nullum gradum probationis facere.

XII.

Plurima intra, ac circa S. Domum contra vsum antiquæ Ecclesiæ etiam de die ardentia lumina augere potius tenebras, quàm lucem assertæ Translationis.

XIII.

Plerosque Lauretum concurrere inani indulgentiarum spe.

XIV.

Ridiculum esse, exteros etiam mortuos ad Lauretanam Ecclesiam ob eius sanctitatem sepeliendos deferri voluisse: multàque solemnitate fuisse sepultos.

XV.

Antiquum S. Domus cultum nouo, improbatoque peregrinationum vsu frustra probari.

XVI.

Recentem S. Domus cultum nisi Peregrinis nouo eos illic hospitandi inuento illectis:

XVII.

Catholicam fidem, ob cuius cessationem, vt dicitur, Translatio contigit, sexcentos ante annos ob Sectæ Mahomettanæ introductionem in Syria defecisse.

Re-

XVIII.

Reuelationes de hac S. Domo in somnis habitas esse somnia.

XIX.

Inuerisimile esse, Marchiæ Prouinciam sexdecim viros ad explorandum translationis veritatem in Dalmatiam, & inde in Syriam misisse ob sola Eremitæ verba.

XX.

Domunculam hanc esse Domum paternam Beatissimæ Virginis refelli conditione sancti Ioachimi æquè diuitis, ac nobilis.

XXI.

Inuerisimile esse, Domunculam huius qualitatis inter multas Galileæ deuastationes magnificentioribus superstitisse ædificijs.

XXII.

Camini intra parietem S. Domus existentis formam, cuius Vitruuius, vel alius eius temporis Scriptor non meminit, conuincere, hanc non esse Beatissimæ Virginis Domum.

XXIII.

Consecrationem Apostolicam huius Sanctæ Domus in Ecclesiam refelli non usu tunc temporis Ecclesiarum, & præteritione S. Lucæ Scriptoris Actorum Apostolicorum.

XXIV.

Diuina Officia, adhuc in Ecclesijs minime instituta, non potuisse ab Apostolis in hac S. Domo recitari.

XXV.

Gratis asseri, Apostolos hic posuisse imaginem Beatissimæ Virginis, contra Exodi prohibitionem.

XXVI.

Crucem adorari adhuc minime cœptam, non potuisse hic ab Apostolis collocari.

Nec

XXVII.

Nec quidem Campanulam potuisse ibi ab Apostolis poni tempore, quo non dum erat in vsu.

XXVIII.

Lapides, & Calcem S. Domus neutiquam debere pro Sacris reliquijs haberi.

XXIX.

Mirum videri, S. Domum constitui etiam ad dexteram Sanctissimi Sacramenti summæ apud nos venerationis.

XXX.

Ridiculum esse, quod dicitur, fuisse diuinitus defensam S. Domum, temporalibus armis, etiam Ecclesiæ interdictis, munitam.

XXXI.

Festum Translationis S. Domus sine vlla ratione celebrari.

XXXII.

Idolum Lauretanum esse maius omnibus Idolis Christianorum.



CLYPEVS LAVRETANVS

Aduersus Hæreticorum Sagittas.



Quæ in veritatem ſacræ Lauretanæ Domus Hæretici impiè eiaculantur, hæc ſunt.

SAGITTA I.

Primum Lauretanæ Hiſtoriæ Scriptorem oſtendere, barbariem tunc temporis non minus de Literarum elegantia, quàm de Veritate triumphaſſe.

CLYPEVS.



RIMVS vt moueatur lapis, arguis falſitatem Hiſtoriæ à Scriptoris barbarie. Quam intelligis in Hiſtorico noſtro barbariem? An quod verborum delectum minus habuerit? concedamus: Quod verba impropria adhibuerit, minusque latina? & hoc

concedamus. Quid inde concludis? Ergo historia non est vera? Optima sanè argumentationis conclusio: Ille barbarè loquitur; Ergo verum non dicit. Quis te docuit hanc dialecticam? & à quo vnquam est huiusmodi datum præceptum, vt si quis velit historiam contexere, illam delectis in latinitate verbis explicet; aliòquin fidus veritatis interpres minime censeatur?

Cic. 2. de Orat. Scimus, Primam historiæ legem esse, ne quid falsi dicere audeat: deinde ne quid veri non audeat: ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Prima, inquam, historiæ lex, ne quid falsi dicere audeat: Sin autem quis factum refert simplici oratione, quod verba elegantiora ignoret, quod Ciceronem non imbiberit, neque Salustium, neque Liuium, dummodo ne quid falsi proferat, legem semper seruabit historiæ. Præsertim, quia, vt inquit Augustinus * In verbis debemus verum amare, non verba; Quid enim prodest clauis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est.* Qui etiam alibi, ornamenti genus esse ait non mediocre, verborum ornatum contemnere. Cum quo consentit Arnobius, qui * Veritatis (inquit) species,

De doct. christ. li. 3. c. 10.

cap. 5.

lib. 2. contra gent.

cies, & pulchritudo fuco, non indiget peregrino.

Sed quid mirum, si barbariem ostendere dicant primum Lauretanæ Historiæ scriptorem, qui aures habentes delicatiores, quàm sancti, veteresque Patres, etiam antiquissimam Sacrarum Paginarum versionem, simplici stylo conscriptam (sic Deo iubente, qui illam Theologiam vult sapere, non Grammaticam) refellunt: ac recentissimam Bibliorum versionem eam tantummodo agnoscunt, quam vel nescio quis Sebastianus Munsterus, vel Oecolampadius, siue Tigurina, siue Geneuensis schola proponit; quæ sonantibus quidem constat Ciceronianis, Plautinisque verbis, succum autem nullum, seriem bene ductam nullam, nullum denique sensum habet. Ita semper in solo verborum cortice morantur Hæretici, & eloquentiam factitant, dum sapientiam pessundant.

Adijcis, barbariem tunc temporis de literarum elegantia triumphasse. Quid interest, si verum est, quod refertur, in quo veritas triumphat? non quidem phaleratis Tullianæ eloquentiæ equis, falcatisuè curribus dialecticarum decipularum, legentium ingenia confundentium, mendaciaque, & errores callidis verborum inuolucris contegentium (quod facere

vel inuiti coguntur, quibus veritas non suffragatur.) *Non in curribus, non in equis, sed in nomine Dei nostri, qui est ipsa per essentiam

Psal. 19.

Ibid.

veritas, ambulamus: *Ipsi obligati semper fuerunt, & ceciderunt: Nos autem surreximus, & erecti sumus.

Non inanem sæculi pompam, sed nostrorum fidelium vtilitatem prę oculis habuit Historicus noster: Non Tullij, sed Christi ante oculos exemplar habens scripsit; sciebat enim quod semper

Horat. de Arte.

Ornari res ipsa negat, contenta doceri:

Nec ignorabat, excultam, & accuratam orationem paucis prodesse, si tamen prodest; multo autem pluribus simplicem hominum sermonem tàm stylo, quàm rebus ad captum vulgarem se attemperantium proficere: Imo verò

1. Cor. 2.

res ad fidem spectantes, Apostolo teste, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, ac virtutis consistere: & Deum ipsum sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum disperdere.

Desine igitur quisquis es, simplicem, & incomptum Lauretanæ Historiæ stylum, eiusque Auctorem aculeato scommate carpere, & genuino dente rodere, dum eius veritatem, vt constabit inferius, labefactare nequis.

Quod

Quod si his minime acquiescis, adhuc in promptu est, ostendere, ex rudi hac, vulgariq. scriptione huic Historiæ maiorem conciliari fidem; propter quod de industria fortasse illius Auctor tali est vsus dictionis genere; Lucianus enim benedicendi arte instructissimus*: Allucinantur, ait, qui vtile, ac iucundum requirendum censent in historia: & adulterinam ostendens ipsorum diuisionem, deridet historiam, quæ alis eloquentiæ se efferens, vertitur in præconium: Subditque*, Vnum enim opus est historiæ, & vnus finis vtilitas, quæ ex sola veritate conciliatur; Iucundum verò, si, & ipsum sequatur, melius quidem est, perinde ac si forma, aut pulchritudo Athletam; & pergit laudare dictionem humi incedentem, & pulchritudine, ac magnitudine eorum, quæ dicuntur, elatam.

De conscrib. histor. Comment.

Huic adstipulatur Plinius, qui:* Orationi (inquit) & Carmini, adest pauca gratia nisi eloquentia sit summa: Historia quoquo modo scripta delectat: Et infra ostendens, Orationi, & Historiæ multa esse communia, plura tamen diuersa in his ipsis, quæ communia videntur. * Siquidem (sequitur) narrat illa, narrat hæc: huic pleraque humilia, & sordida, & ex medio petita: illi omnia recondita, splendida, & excel-

Li. 5. ep. 8. ad Capitonem.

ſa conueniunt: hanc ſæpius oſſa, muſculi, nerui: illam tori quidam,& quaſi iubæ decent: hæc vel maximè vi, amaritudine, inſtantia: illa tractu, & ſuauitate, ac etiam dulcedine placet: poſtremò alia verba, alius ſonus, alia conſtructio. Hactenus ille.

Indeque fit, vt noſtrorum Martyrum acta, dictaque à Notarijs tunc fideliter ſcripta, à fidelibus pacis tempore magno redempta pretio, & exſcripta, clariora quidem ſint, & gratiora alijs quibuſuis licèt veris, pigmentis tamen eloquentiæ circumlitis; etenim omne, quod fucatum eſt, ſuſpectum redditur, & verum non ſemper creditur, quod magna artis induſtria concinnatur: contenta namque nitore ſuo veritatis pura ſimplicitas, eò pulchrior, quò incultior rectè ſentientibus eſſe ſolet: Deprauati enim ſtomachi eſt, delicias in cibis inquirere: & quod non ſtimulat orexis, illam cupedijs allicere, non optimæ eſſe habitudinis demonſtrat. Id quod feliciſſimè exprimitur carminibus à Sanctiſſimo D.N. VRBANO VIII., dum in minoribus eſſet, editis, in hæc verba:

De S. Io. Bapt. Ode Stroph. 1. in fine.

Crinibus aureis,
Fronte ſerena,
Formoſiſq. genis, oculiſq. micantibus, vllo
Non compta fuco Veritas coruſcat.

Ex

Ex quibus patet, quo iure Aduersarij nostri in historia nihil de veritate laborantes, barbariem redarguant scribentis: & hinc falsitatem afferant conijciendam; perinde ac nisi eloquenter dicta, cuncta sint falsa, & inania. Contra quos etiam Ambrosius inquit:* Maior est ambitioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides: deprauati (quippe) est intellectus in veritate perquirere figmenta: dissoluti pectoris, in rebus serijs quærere voluptatem. Proindequè Cyprian.* Accipe (inquit) non discreta, sed fortia: non ad audientiæ popularis illecebram culto sermone fucata; sed ad diuinam indulgentiam prædicandam nuda veritate simplicia.* Eusebius, ac Hieronymus Egesippi historiam ab eius simplicitate commendarunt. Et scriptores omnes seriò aduertunt, habenis, ac fræno indigere historicæ veritatis orationem, ne ex eius arcto, rectoquè tramite in latum laudationum campum soluta prosiliens, quæcunque grata, atque auribus videntur iucunda vsurpans, nullo rerum habito delectu, commentitia plerumque veris admisceat.

S. Ambr. de Abraham Patriarch.

Ep. 2. ad Donat.

Bar. ann. 167.

Quid ergo? Vellet adhuc Aduersarius, Ciceronianis flosculis Lauretanam Historiam ab eo, qui primus retulit, exornatam ad nos fuisse transmissam? Si id accidisset, crederet ne? nisi

nisi scribentis barbariem posset incusare (veritatem enim, quam vel orbus intuetur, non potest) aliud obiectaret. Quod si argumentis elucidaretur; ad aliud iterum, veritatis agnitionem vitaturus, dissensionis litus appelleret: & sic deinceps in peruicacia semper obfirmato animo persisteret. En aliud proponit ridiculum.






SAGITTA II.

Non probari extitisse Nazarethi Domum titulo Annunciationis Beatæ Virginis insignem.

CLYPEVS.



ADVERSARII (quæso Candide Lector) singillatim verba perpendito, eiusque in omnia excutiédo diligentiam, qui vel acum (vt Plautinus Messenio) si quæreret, inueniret, aduertito. Nó probari (inquit) Nazarethi extitisse Domum titulo Annunciationis: & ne lapidem impingat offendiculo, addit, insignem. Proh acutum hominem! Si Nazarethi non extitit Domus titulo Annunciationis: Vbi nam Virgo ab Angelo salutata? Geneuæ fortasse, an Vuittembergæ? Poteſtne absurdius quicquam, magisque ridiculum obijci? Cuiusnam sunt hæc?* Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth? Præsaga quippe mente Euangelicus Scriptor nomen Vrbi imposuit, addita etiam Prouincia, vt argutiam Luc. 1.

 tuam

tuam vel Puer paruulus infringat. Cœtera
Matt. 1. perlegito: * Ad Virginem desponsatam viro,
Marc. 1. Luc. item 1. cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria: & ingressus Angelus ad eam * & quæ sequuntur.

Dicas obsecro, quò tu Angelum fuisse ingressum putas sensisse Euangelistam? in siluam, in agrum, in specum? fortasse in forum, vbi
Hom. in Luc. c. 1. Virgines honestatis amantes versantur? In domum certe fuit ingressus Angelus, in cuius penetralibus (teste Ambrosio) ab eodem ipsa
vbi sup. Virgo reperta, non alibi. Cuius quidem Nazarenæ Domus mentionem faciunt Euangelistæ.

At fortassis interpretationem nostram deridendo, clam respondebis, non te improbare, Nazarethi extitisse Domum Virginis: quod qui vellet refellere, Soli claritatem denegaret; sed minus probare, ibidem extitisse Domum titulo Annunciationis Beatissimæ Virginis, scilicet Templum sub huius inuocatione Mysterij.

Ad quod ego, quando nulla, inquam, huius rei extarent monumenta: quando nulla veterum scriptorum, eorum præcipuè, qui sancta loca illa semper inhabitarunt, testimonia reperirentur; Num credis, illius temporis Fideles post Christi in Cælum ascensum, qui plurima in ijs locis, vbi aliquod operum ipsius vestigium

gium relictum fuerat, erexere Sacella, ad memoriam in animis Fidelium renouandam; eo in loco Sacellum erigere oblitos, vbi Christus Virgineo fuerat conceptus vtero, vbi educatus, vbi Deus sub humanis artubus tamdiù latuerat? Tu ipse fatere, num hæc potuerit inobscurare insignis obliuio.

Et si, pluribus omissis, vt narrat Nicephorus, Petri Domus in Templum sub eiusdem Principis Apostolorum denominatione fuit conuersa ob memoriam tantùm Petri, Fideles tu obliuione tactos putabis, quò minus Domum illam Virginis, in qua diuina facta fuere mysteria, in qua per tot annos ipse Deus mansit, quam manu tetigit, præsentia sacrauit, in Templum verterint? Quotus es ipse, qui hæc aduersaris, vt hæc minus agnoscas. Quo pacto parietes illi tantæ Maiestatis conscij, tot arcanorum inter Virginem, ac Filium paruulum, & adultum participes, obliuione eorum, qui tunc temporis erant, & qui sæpius, & viderunt, & obortis lacrymis illos deosculati sunt, sepulti esse potuerunt? 8. histor. Eccl. 30.

Quod si coniectura hæc tanti ponderis, ac momenti te minùs conuincit, accedamus ad Illustrium virorum testimonia, & videamus, an his fortasse victas manus dare velis. Audi Paulum

Lib. 5. histor. Æmilium referentem, Domum hanc Nazarethi in magna semper veneratione fuisse Peregrinorum non solùm Asiæ, sed etiam Africæ, & Europæ. Necnon Theodorum Clitouæum, narrantem, Sanctissimum virum Ludouicum, dum sacra loca in Palæstina venerabundus lustraret, è monte Thabor Domum hanc à longe prospicientem, de equo statim desilijsse, & reliquum viæ pedibus confecisse, multisque ibi editis eximiæ pietatis, ac religionis argumentis, in ipso Annunciationis anniuersario die sanctissimum sumpsisse Eucharistiæ sacramentum.

Serm. de S. Ludouico Gallorũ Rege.

Vide Iacobum de Vitriaco, Romanæ Ecclesiæ in Syria Legatum, tum ad Episcopatum Aconensem assumptum, & tandem inter Purpuratos Patres adscriptum, eiusdem Vrbis Patriarcham acclamatum, in sua Terræ sanctæ descriptione narrantem, se eodem Diuini Verbi Incarnationis sacro die in ea Domo, quam tu oscitans, & allucinatus negas, Religionis ergo Diuinam rem facere sæpius consueuisse. Floruit anno à Christo nato ducentesimo trigesimo primo supra millesimum, quando nondum translatam sacram Ædem fuisse haud ignoramus:

Lege tandem Guillelmum Tyri Archiepiscopum, Regni Hierosolymitani Cancellarium,

&

& Laterani Concilij, quod anno Christi 1178. Romæ à trecentis Patribus celebratum est, à secretis, qui Belli sacri historiam viginti tribus libris absoluit; quibus semper apud eruditos magna accessit auctoritas: Hic eandem Ecclesiam testatur, ob eius sanctitatem, & famam in Metropolim fuisse erectam: atque Tancredum Principem Galilææ Præsidem, eam multis prædijs, mirum in modum locupletasse. Cui sanè Domui, nisi ex certa traditione eo tempore constitisset, eamdem fuisse Virginis, Christique domicilium, haud certè tantum impertiti fuissent honoris, vt tot prædia attribuerent. Lib. 9. c. 11.

His adde Brocardum, qui anno Christi 1283. post multam, & diligentem eius Vrbis, ac terræ indaginem, antiquarumq. ruinarum inspectionem, eam accuratissimè per itinera loco capitum descripsit: Bernardum de Breindebarch, & Bartholomæum à Saligniaco, aliosq. plures, quorum scripta vnanimi consensu antiquissimum huius sanctæ Domus cultum, venerationemq. testantur.

Et si recentium fides tibi suspecta est, percurre Nicephorum, vbi de Helena Augusta Constantini Magni Parente ait: "Helena Orientem versùs descendens, Nazareth peruenit, Lib. 5. c. 30.

nit: & salutationis Angelicæ Domo reperta, Dei Genitrici peramœnum excitauit Templum*. Quod fuit irrefragabile eiusdem cultus testimonium, donec ob sanctæ Domus translationem apertum est, ac deinde ab ipsismet Barbaris dirutum ad supremam, quantum in eis erat, tanti miraculi memoriam delendam, ac obliterandam.

Quòd si etiam antiquiorem velis, sanctum Hieronymum obserua, qui paulò post Apostolos, eorumq. Discipulos floruit, & plurimos in Palæstinæ regione exegit annos: Is cùm de Paulæ peregrinationibus loqueretur, ait: * Inde cito itinere percurrit Nazareth nutriculam Domini. * Num ad Vrbem dumtaxat peruisendam? cum eius tempore Viculus tantùm esset; vt ipse idem testatur: * Est autem (inquit) vsque hodie in Galilea Viculus contra legionem in quintodecimo eius milliario ad Orientalem plagam iuxta montem Thabor nomine Nazara *. Certe Vrbem, siue Viculum à longe satis erat prospicere, nisi aliquod ibi fuisset celebrius monumentum, ad quod Paula percurrere debuisset.

Ep. 27. ad Eustoch. de vita S. Paulæ.

De locis Hebraic.

Et apud eundem in Opusculo, quamuis illi suppositititio, diligentis tamen, veterisque Authoris, hæc leguntur. * Nazareth Viculus

De Actis Apost.

ni Galilea iuxta Montem Thabor, vnde & Dominus noster Iesus Christus Nazarenus vocatus est: habetque Ecclesiam, in loco, vbi Angelus ad Beatam Mariam euangelizaturus intrauit.*

Atqui argumentationis punctum penè oblitus præterieram, in quo fortè vim esse magnam ducit Aduersarius: dicit enim, non probari extitisse Nazarethi Domum titulo Annunciationis Beatissimæ Virginis insignem: Isthæc vox, insignem, aliquid certe innuit. Videtur enim quodammodo assentiri, Domum aliquam titulo Annunciationis extare, sed minime insignem: Nempe non ibi Ædes instar Ephesini Templi: non ibi Templum Salomonis. Et nos vnà tecum in eamdem sententiam euntes, fatemur, Domum illam humilitate contentam sua, sanctitatis amplitudinem, quolibet parietum spatio insigniorem, ostentare maluisse: Sed quid inde?

Quid vacillas? quid hæres? satis ne tibi videtur probatum, Nazarethi extitisse Domum titulo Annunciationis, & quidem sanctitate insignem? Quod si credis: conuictum te, & apertissimo Euangelij testimonio, Sanctorumque, veterum Fidelium obseruantia, & historiarum fida relatione, fatere.

SA-

SAGITTA III.

Annunciationem contigisse in Domo Sancti Iosephi, non autem Beatissimæ Virginis ex Euangelista referente S. Iosephum voluisse dimittere eam: & Nicephoro dicente, illam cum Ioseph domicilium habentem lætum accepisse nuncium.

CLYPEVS.



VID tandem, si non fuerit Domus hæc Beatissimæ Virginis, sed Iosephi? Numquid propterea illam minore honore dignam censebis, dummodo in ea sacrum Annunciationis mysterium consumatum fuisse non negaueris? Licet enim S. Domui non parum dignitatis ex hæreditaria Beatissimæ Virginis possessione accrescat; tanta est nihilominus excellentia, quæ ex diuinissimo Incarnationis Sacramento in eam deriuatur, vt alia quælibet vel magna nihili præ illa facienda videatur.

Atqui tecum non in istam descendo sententiam; nam si bene Euangelistæ verba per

te

te allata perpenderis, non bene, iudicio meo, arguis: S. Iosephus, cognito, quod B. Virgo haberet in vtero, voluit eam dimittere. Ergo Domus non Virginis, sed Iosephi. Vnde hæc tibi sequela? Certe ex verbo dimittere, si latinitatem calles, illa quidem capienda non est; nam dimittere non est semper alicui potestatem facere abeundi à loco, qui sub dimittentis dominatu est; sed relinquere, Cicerone teste: repudiare, teste Suetonio.

Præsertim quia non desunt, qui velint, Iosephum Bethleemitam, non Nazaræum, ex Patria ob bellorum sæuitiem, ob Romanorum dominantium tyrannidem, ob vectigalium impositionem minus ferendam, siue aliud huiusmodi, in Galilæam (sub Herodis tunc erat dominatu illa Prouincia, quem Hebræi quamuis Idumæum æquiorem erga se, quàm Romanos Proconsules, censebant) secessisse, & Nazarethi lignariam exercuisse, Deoque Optimo Maximo ita annuente, Virgini diuinitus Sponsum delectum, ad eius Domum iuisse, & ibi cum ea cohabitasse: Quando hoc in more positum fuit apud Hebræos, vt Viri ad Vxorum domos accederent, deinde illas in paternas traducerent. Vnde in sacris paginis legimus Iacob in domo Laban Soceri sui viginti annos immora- Gen 31.

C tum

Gen. 31. tum fuisse: & Moysen, in domo Iethro Sacer-
Exod. 2. dotis Madian plures transegisse annos.

Ad quod credendum ducimur etiam Euan-
Matt. vbi sup. gelistæ verbis: * Et nollet eam traducere *. Ergo
ex domo Virginis, in qua per illud tempus cum
ea fuerat commoratus, in aliam domum, quam
ipse fortassis ibidem habebat, (quamuis qui do-
mum non haberet in Patria, multò minùs cen-
sendus sit in aliena possedisse) vel conduxerat.

Nec verba ex aduerso ponderata ad rem sunt,
vt credamus, S. Iosephum Virginem Sponsam
suam domo eijcere voluisse; sed quod profun-
Epist 14. & ser. 16. de Verb. Dñi, & serm. 14. de Natiu. Domini. dissimi in ea celebrati mysterij esset ignarus,
ne de fama illius vel minimum detraheret, oc-
culte cum ea diuortium facere statuisse. Ita
S. August. Cum quo consentiunt S. Ambros.
cap. 1. de Institit. Virginis, & homil. 6. in Euang. in dialog. cõtra Triphonem. in eumd. euãg. loc. Iustinus, Cardinalis Caietanus, & alij. Quare
& quæ sequuntur Angeli verba: * Noli timere
accipere Mariam Coniugem tuam *; ab eodem
Sancto Ambrosio, Chrysostomo, Theophilato,
& Euthimio hoc ferè modo explicantur: * Noli
timere, tecum habere Coniugem tuam, & cum
illa simul viuere *.

Diuortium etiam fieri consueuisse non so-
lùm ab ipsa Sponsi domo, mulierem ablegan-
do; sed etiam ipsius Sponsi recessu à Sponsæ do-
mo, satis aperte diuina eloquia testantur, vbi
Sam-

Sampſonem iratum inducentes, quod Vxor, quàm in Thamnata acceperat, æmulis Problematis ſolutionem indicaſſet, à Soceri domo in domum Patris ſui ſecedentem, occaſionem eidem Socero præbuiſſe narrant, ſibi certo perſuadendi Generum cum Filia feciſſe diuortium; quo factum fuit, vt illa Patre authore alteri nupſerit Viro. Quid ergo? Voluit occulte dimittere eam, erit apud te, ſecundum interpretationem tuam: Voluit occulte eam à domo ſua foras mittere, ſiue ad paternas ædes remittere?

Et ne vel ea ſaltem dignitate, quod Virginis fuerit, Sanctam Domum à te fruſtratam glorieris, Euſebium Emiſſenum auſculta conſtantiſſime teſtantem, Beatiſſimam Virginem, vtpotè ſuorum Parentum Ioachimi, & Annæ vnicam, maximeque dilectam filiam paternæ domus Nazarethi ſitæ fuiſſe hæredem, eamque ſancto Ioſepho dotis nomine aſſignatam fuiſſe author eſt Bernardus, vbi dicit: *Conſtitutus eſt Dominus domus ſuæ* idest Virginis. In ſerm. de Natiu. Virginis. Hom. 3. de eodē Sancto.

Sed ad quid ambages hæ, ſic enim has noſtras aſſertiones vocitabit Aduerſarius: Quid nam illud Euangeliſtæ Lucæ *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam*? quando ait, ſuam, intelligis alterius? cap. 1.

Quod autem Nicephori neſcio quod pro te

affers testimonium, vt isthęc oppugnatio acerrimis Patrum testimonijs munita videatur; derideo quidem; non enim quæ illius verba laudas, eam argumentationis vim habent, quam tu te
Lib.1.c.8 confingis; ait enim: *Itaque in Nazareth cum Iosepho domicilium illa habens, ab Archangelo Gabriele fuit salutata *. Quod ipse ait: cum Iosepho domicilium habens, quo pacto intelligis; Virginis domum non fuisse, in qua contigit eius Annunciatio, sed Iosephi? Acutus quidem Interpres. Domicilium, si optimis quibusque Lexicorum compilatoribus credendum est, habitatio longi temporis est vnà cum omnibus suis bonis: & domicilium non domus, aut habitatio facit; sed vbi quis rerum suarum summam constituit, vnde rursus non sit abiturus. Proindequè domicilium habere cum aliquo (Grammaticus tecum sim oportet) est habitare. Et Virgo cum Iosepho domicilium habebat, hoc est, habitabat.

Quod tamen tibi interpretatio aliter cedat, non mirum, qui ex eorum es numero, quibus Satan pectus adeò fortiter occupauit, vt nihil affectent magis, quàm quibus modis queant ad sua petulantissima asserta pias SS. Patrum mentes subducere, scripta euellere, & eorum sententias mutilare: Eruditioribus standum.

SA-

SAGITTA IV.

Non constare de translatione aliàs incredibili sancta Domus.

CLYPEVS.


T omnia vobis constent, fides abrogetur necesse est: & si mille quidem affirment, nisì cernatis oculis, quæ narrantur, minùs sunt credibilia apud vos: ea tamen, inquam, quæ sensui vestro dissona videntur; si enim quis vobis aliquid narret contra Catholicos euenisse, quamuis commentitium sit, ac vanum, statim creditis, eum folium vobis recitare Sibyllæ: & quasi è Cœlo delapsum, libentissimè excipitis, vt in nos illud deinde contortum iaciatis.

Fateor apud vos de translatione S. Domus non constare, qui peruicacis ingenij vix Euangelio creditis: in quo cum multa essent, quibus conuicti verum fateri cogebamini, impia, imperitaq. expositione illud vertentes, tanquam chartaceis gladijs veritatem iugulare conamini.

Apud



Apud nos verò, qui nisi humano quoque testimonio, vel voce, vel scriptis prodito fides habeatur, humanæ societatis commercium solui necesse arbitramur, certissimè constat cùm ex antiquis Illyricorum, tùm Recinetensium Annalibus.

Annales Illyric.

Anno siquidem à partu Virginis millesimo ducentesimo nonagesimo primo, die 6. Maij, vt Illyricorum tradunt monimenta, Tersactum inter, ac Flumen Dalmatiæ Oppida, sacrata Aedes neque antea vmquàm illic visa, neque à quopiam constructa, nullo prorsus fundamento, sed Diuina tantùm virtute suffulta conspicitur: narratur factum: percrebescit fama: concurrunt Populi: miraculi stupore consternantur: se se inuicem interrogant, cuius Domus illa sit ibidem immota consistens, non nouo, sed veterrimo compacta cœmento: vnde, & ad quid: humanitùs, an diuinitùs translata? ignoratur factum, alijs alia suspicantibus: ad loci Parochum, grauiter ægrotantem, fama defertur. Dum hæc diuersè discussa versantur inter Accolas, eidem Sacerdoti (Alexandrum appellabant) è graui, vt diximus, morbo decumbenti, cùm ad spectaculi nouitatem adire minime posset, Beatissima Virgo apparet in somnis, Domumq. illam, in ea Regione recens ex-

po-

positam, eamdem esse Nazarethi olim erectam, in qua ipsa lætum ab Angelo nuncium acceperat; nec non Diuino nutu, singulariq. Fidelium in Europa degentium beneficio, Angelorum illuc opera asportatam edocet: reiq. veritatem repentina sanitas testata est; etenim ex tempore Parochus lecto consurgit: eòdem citus aduolat: Domum contemplatur: admiratur factum: visum enarrat. Quid plura? rem totam festinus omnibus, ac potissimum Illustrissimo Comiti Frangipanio Prouinciæ Moderatori promulgat audacter: qui pariter venerabundus accessit ad locum, & pro veritate indaganda eiusdem cum ianua, fenestraq. altitudinem, longitudinem, ac latitudinem accuratissimè describi mandat. Quatuor spectatæ integritatis, fideiq. Viros Nazarethum vnà cum ipso Sacerdote Alexandro adamussim omnia contemplaturos ablegat. Abeunt, longam viam conficiunt, Nazarethum perueniunt, fundamenta translatæ Domus ad normam exigunt: Templi quoque partem ab Augusta Helena circa Domum extructi intuentur abscissam: tandem omnia ex visu describentes in tabulis, consultis eiusdem Regionis incolis, eàdem planè nocte, qua in Dalmatia fuit reperta, ibidem defuisse percipiunt: ac in Patriam reuertuntur;

vbi

vbi,quæ oculis perſpexerant, manu tetigerant, auribus acceperant, cunctis certiſſimi veritatis teſtes annunciant. Tunc cœpit rei fama longè, lateq. diffundi.

Annal.Recinet. Anno autem tertio à dicta tranſlatione die decima Decembris,vt Recinetenſes tradunt Annales, ſub auroram Sacra Domus in cuiuſdam diuitijs æque, ac pieta te inſignis Fœminæ (Lauretam vocabant) ſylua tribus fere paſſuum millibus à Mari, & ab Vrbe diſſita, non minori ſanè, quàm in Dalmatia admiratione viſa eſt. Cui inclinatas hinc, & inde obſequij gratia conſpexerunt Arbores: totumque illud Maris ſpatium, quod S. Domus, Angelica opera deducta, fuerat emenſa, ſplendore coruſcaſſe. Cumque eiuſdem anni circulo in Collem primùm duobús Germanis communem: deinde in viam publicam iterato miraculo fuiſſet tranſlata; Recinetenſis Ciuitas valde commota tum Dalmatarum querelis iacturam propriam illachrymantibus, tum etiam Pauli Anachoritæ,vitæ ſanctitate, ac pietate conſpicui, vocibus, qui haud longe in Monte Vrſo degebat: ſeque à Beatiſſima Virgine in ſomnis admonitum conſtantiſſime aſſerebat, Domum illam ad Dalmatas, & inde ad Recinetenſes tranſuectam, eamdem eſſe, quam ipſa Dei Mater olim apud

Na-

Nazarethum incoluerat; ad finitimas Vrbes, & Oppida factum transmittit: coactoquè Prouinciæ generali Concilio, sexdecim viri fide, pietate, ac prudentia valde præstantes ad Dalmaticos, tùm ad Nazarenos fines ablegantur cum ijsdem mensuris, (vt olim à Dalmatis factum) pro veritate exquirenda. Qui iussis omnibus diligentissime persolutis, oculati tam insignis miraculi testes in Patriam remeant: ac Dalmatarum, pijque Anachoretæ assertiones de S. Domo veritati omninò consonas esse renunciant.

Hæc sunt certissima testimonia, quibus facti veritas constat; Annalium prodita historijs, veterisque traditionis authoritate corroborata. Quam cum præterito sęculo oppugnare conarentur Lutheri Asseclæ (haud enim acuti homines rursùs nouas adinuenire queunt hæreses, veteres tantùm recinunt) Clemens VII. Pontifex Maximus ad eorum temeritatem penitùs retundendam, rem tantam, tamque celebrem, vel ipsorum miraculorum testimonio, iterata tamen, ac diligentissima inquisitione confirmare constituit: delectosquè tres ab intimo sibi Cubiculo spectatæ famæ viros in Dalmatiam, ac Nazarethum cum omnibus sacræ Domus mensuris, cæterisquè ad rem facien-

tibus ablègat: Qui, iussa Pontificis omni cum diligentia executi, veritatem hanc tot antea per ætates Fidelium testimonijs comprobatam noua demùm oculata attestatione confirmant. Et cum Domus fundamenta, quæ Barbari saxis, terràque oppleuerant, excauari curassent, & mensuras ad regulam, libellamque exactas contulissent, duos inde lapides erutos (cuius quidem generis apud nos minime extant) ad maius veritatis testimonium hùc ad nos aduexerunt: & insuper testati sunt, in eo Dalmatiæ loco, vbi sacra Domus primò constiterat, ante quàm ad Italiam accederet, alteram in omnibus fermè persimilem ab ipso Comite Frangipanio in illorum Populorum solatium, ac pietatis augmentum erectam fuisse superaddita inscriptione.

Hic est locus, in quo olim fuit sancta Domus Lauretana, quæ nunc in Recineti partibus colitur.

Cuius quidem veteris miraculi noua etiam ex ijsdem Recinetensium Annalibus monimenta habentur; etenim cum Leo X. iussit lateritios muros, sacræ Domui ab eisdem Recinetensibus metu lapsus adiectos, disturbari: eamque, nouis, qui, celato marmore conuestiti, extrinsecus illam adornarent, concame-

ra-

rari; Domus ipsa stragulis, vt fit, funibusquè constricta, validis fuit suspensa rudentibus, quò-ad expletis fossis fundamenta sunt iacta, quæ opus tutum præstarent; omnium oculis compertum est, parietes, vt supra à Recinetensibus extructos, adeò à sacris recessisse, vt inter vtrosque, quoties opus foret, Puer cum accensa face discurreret; vnde clare appareret, illam, diuina vi subnixam, aspernari humanam opem, excludere hominum industriam: & sub imis eius parietibus puluerulentum, tritumque solum viæ publicæ, & proximi ruris sepes, quas sacra Domus occupauerat, conspecta sunt.

Hæc igitur satiñ ad veritatem in aduersantium animos inducendam? quid amplius inuestigandum?

Forsitan Annales Illyricorum, ac Recinetensium reprobabunt, aniliaquè dicent commenta? & hos præter alios, qui illos percurrerint, eruditissimus Baronius (hoc ipsum attestans insigni, quod in sequentibus referemus, tantæ veritatis elogio) oculatissimo voluit inspicere; eosq. plures summi Pontifices multò ante comprobarant. Quos inter.

Paulus II. in suis litteris sub kal. Februarij anno reparatæ salutis 1471. de eadem S. Domo hæc ait.

Ecclesiam miraculosè fundatam, in qua, sicut fide dignorum habet assertio, ipsius Virginis gloriosæ Domus, & Imago, Angelico comitata cætu, mira Dei clementia collocata existit.

Iulius itidem II. id ipsum refert in alijs litteris sub Kal. Nouembris anni millesimi quingentesimi septimi.

Leo X. in suo Motu proprio anno Domini 1519. de S. Domo hæc memoriæ prodit.

B. Virgo vt, fide dignorum comprobatum est testimonio, è Nazareth Imaginem, & Cubiculum suum diuino nutu transferens, apud Flumen Dalmatiæ Oppidum primò, ac deinde in agro Recinetensi in loco nemoroso, ac rursùs quodam in colle eiusdem, agri particularibus personis addicto, posuit: demum in via publica, vbi modò consistit, illud Angelicis manibus collocando, sibi delegit.

Pius V. in cereis imaginibus, quæ (Agnus Dei) à Fidelibus vocantur, ab eo de more consecratis, huius S. Domus translatæ memoriam his verbis testatam reliquit.

Verè Domus florida, quæ fuit in Nazareth.

Sixtus V. Magnificum Templum illud, sacrosanctam Lauretanam Domum vndiq; complectens, à se in Cathedralem, ac primariam Basilicam erectum, hoc insigniuit titulo.

Dei-

Deiparæ Domus, vbi Verbum caro factum eſt.

Clemens tandem Octauus eamdem de S. Domo opinionem, ſummorum Pontificum, qui anteceſſerant, teſtimonio comprobatam in marmoreo lapide ad perpetuam rei tam inſignis memoriam in hæc verba teſtatam voluit.

Hìc S. Dei Genitrix in lucem edita:
Hìc ab Angelo ſalutata:
Hìc æternum Dei Verbum Caro factum eſt:
Hanc Angeli primùm in Illyricum aduexere ad Terſactum Oppidum anno ſalutis 1291. Triennio poſt in Picenum tranſlata prope Recinetum Vrbem, in huius Collis nemore collocata eſt: vbi, loco intra triennij ſpatium ter commutato, hìc poſtremo, Sedem diuinitùs fixit.

Quorum quidem authoritas tantum apud nos valet, vt vel Moyſen noſtrum, noſtroſquè Prophetas liceat appellare: & hos habemus, quibus oportet credere;alioquin neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credemus.

Quod autem incredibilem ſacræ Domus appellent tranſlationem Aduerſarij, eamq. derideant, non miror; enimuero facile inducor, vt credam, illos ambigere etiam de cunctis, quæ in ipſo Dei Verbo leguntur; quandoquidem facilius mihi videtur Domus tranſlatio, quàm

quàm Solis remoratio: & parui tecti commigratio, quàm eiusdem Solis remigratio: vtrumque verò in sacris paginis legimus, & Solem per decem gradus retrogrado quidem cursu se reuocasse: eumdemq. (obediente Deo voci hominis) diem integrum pro Israelitis in Gabaonitas medio Cælo constitisse. Tum præter hæc incredibile erit oppugnantibus, petram fontem profluum scaturijsse: ferrum super aquas enatasse: ambulasse super eas hominem: ad vitam mortuos reuocatos, & alia huiusmodi diuinitus edita signa. Quæ nobis quidem minus incredibilia sunt, qui, vel alia legimus, vel alia nostris oculis intuiti, vel ipsimet experti sumus: quiue ratione nos duci, trahiq. sinimus, non autem obstinatione retardari.

Nec sine ponderatione prætereundum putamus, rem tantam vel hoc ipso, quod fidem superare videtur, difficillime prorsus humanis mentibus persuaderi potuisse, si nudum commentum nulla vel veritatis, vel possibilitatis, vt ita dicam, specie inniteretur: eiusque Authores, rei vanitate, quæ diù latere non potuisset, tandem patefacta, turpissimam ignominiæ notam, haud facile, diluendam, incurrissent. Nec defuturos fuisse tanti temporis, trecentorum nempe, & quadraginta anno-

norum interuallo, acerrimi ingenij ſcrutatores, qui tam inſignem impoſturam oculatiſſime peruëſtigarent, deprehenderent, & in lucem proferrent. Nec demum ſanctam Sedem Apoſtolicam, à Spiritu ſancto ſemper edoctam, rem non certam tot ſummorum Pontificum teſtimonijs comprobaturam fuiſſe. Nonne fidelis Deus, qui nullos vnquam in errores Eccleſiam ſuam hucuſque, labi permiſit? quemque, ſi vllo vnquam tempore non ex traditione, ſed priuato aliquorum inſtinctu irreperet error (quod ipſe Deus auertat) detegendum fore in Lateranenſi Concilio apertiſſime oſtenſum eſt. Conc. Later. can. 3

Neque eſt cur clam obiectes, nos opinionem licèt falſam, ne inconſtantiæ crimine inſimulemur, animo impreſſam numquam nobis excutere velle; nam vel ipſos vulgi errore præſtantes creditos viros, licet mortuos, exhumantes, publicis damnatos ignibus, inſpectantium animos induximus, nos illud ſeruare voluiſſe, quod in Prouerbijs habetur: Sapientis eſſe mutare conſilium; veritate enim detecta (ſemper hæc vel citò, vel ſerò illuceſcit) quicquid antea fuerat amplexum, reijcimus libentiſſime. Prouer.

Ac demum expedit, non ignorare, quod do-

Aug. ad Volus. epist. 3. docet S. Augustinus * qui: In rebus (inquit) mirabiliter à Deo factis tota ratio facti est potentia facientis: si ratio quæritur non est mirabile: si exemplum poscitur, non est singulare: demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse.* Cui Gregorius Magnus addit: * Rationes de occulto Dei iudicio quærere, est contra Dei iudicium superbire.*

Gregor. Magn.

Verùm quoniam tot testimonijs penè conuictus Aduersarius ad hæc ipsa quid respondeat minus habet, attendamus, quid is tergiuersans, ne rei veritatem amplectatur, excogitarit.



SA-

SAGITTA V.

Antiquiores Historicos de hac Translatione non meminisse.

CLYPEVS.



QVOD lumen cæcis oculis non videt Aduersarius noster, non oculorum putat culpam esse, sed Solis; Heresi hanc inter alias pœnam inferente, vt obscuret ingenia, quæ essent fidei splendore clarissima.

Perlegat Blondum, qui floruit primo ab ipsa translatione sæculo, à secretis Summo Pontifici Eugenio huius nominis Quarto: quique, cum tanti miraculi notitiam habere posset, vt illam posteritati asseueranter tradere non dubitaret, huiusce rei tamquam certissimæ, notissimæque, ac omni prorsus mendacio alienæ, mentionem facit: * Recinetum inter (inquit) & Adriaticum mare paululum à Mussione recedit celeberrimum totius Italiæ, & in aperto, immunitoque Vico Sacellum, glo- Blōdus in sua Ital. Region. 5

riosæ Virginis Mariæ in Laureto appellatum: quo in loco preces supplicantium à Deo, Genitricis suæ intercessione, exaudiri, illud maximum, certissimumque est argumentum, quod eorum, qui votis emissis exauditi fuerunt, ex auro, argento, cera, pannis, veste linea, laneaque appensa donaria, magno luenda pretio, Basilicamque omnem penè complentia, Episcopus in Dei, Virginisque gloriam intacta conseruat. Hactenus ille *. Cui quidem tanto in munere haud venisset in mentem, posterorum memoriæ quid prodere, de quo in dubitationem quidquam vel apud doctissimum virum posset incidere.

Mãtuan. de loc. sacris. Altero ab ipsa translatione sæculo Io. Baptista Mantuanus, cuius in carmine sui saltem temporis eloquentiam vel ipsi veritatis hostes fatentes admirantur, hæc de donarijs ab vndiquè concurrentibus Populis, sacræ Domui elargitis, necnon de ipsa Domus aduectione cecinit.

Quid Mœnia dicam
Littore Piceno impensis communibus Orbis
Condita, & Adriaco transuecta Cubicula Ponto?

Obijcient fortassis Aduersarij, Poetæ quidlibet licitum carmine contexere. Poesis autem,

quam-

quamuis fabularum floribus exornetur: ipsius tamen argumenta ex veris historiarum locis petita, tamquam telæ subtegmina, firma esse debere, ac vera vel puer asseueraret.

Et, omissis vel quadraginta, qui de hac Translatione scripsere, Cæsar Cardinalis Baronius tantæ apud omnes fidei, & authoritatis: quique Lauretum vnà cum Clem. VIII. Pontifice Maximo profectus, Dalmaticos, & Recinetenses omnes, quotquot potuit, peruolutauit ibidem asseruatos Annales, hæc memoriæ tradidit: * Porro (inquit) Domus illa, in qua de Verbi Incarnatione Sanctissima Virgo cæleste accepit nuncium, adhuc magno miraculo non solum integra perseuerat, sed Angelorum ministerio ab infidelium manibus vindicata, in Dalmatiam primùm, indè in Italiam translata est in Agrum Lauretanum Piceni Prouinciæ. Quod perinsigne, ac vetustissimum antiquitatis monumentum totus Catholicus Orbis veneratur, ac colit. Et infra subdit: * Qui hactenus Sacram Nazareth inuiserunt, eiusdem Domus situm eadem mensura signatum inspexerunt, accolis quod factum est, fideliter attestantibus.

Baron. Annal. tom. 1.

Ast iterum insurget Aduersarius fortasse minus acer, iterumque luctaturus obijciet, & hos

laudatos Authores ex recentioribus esse, qui scripserunt: ex antiquioribus aliquem desiderari. Quem inquam? Qui testes oculati priores factum ad posteros transmisere, hos, barbarè locutos ab initio obtrectans clamitauit: Quos aliqua latinæ linguæ, necnon vera historiarum notitia peritos ostendimus, hos non ex antiquioribus, quibus sit fides habenda, obstinatiore voluntate contendit. Ergo semper, licèt ipsa veritas loquatur, reclamabit: & odium, quod ex ea nascitur, euomet in scriptores vel barbaros, vel minus antiquos: Ergo facti veritas ex Aduersarij opinione ab eloquentia pendet, & antiquitate scriptorum, quibus si careat, non est veritas? Indeque licebit illi conijcere, eorum neminem, qui verborum carent eloquentia, neque antiquioris sunt ætatis, verum vnquam fateri, immò mendaces esse, vanosque. Proh Aduersantis stultitiam?

Et vt ad seriem orationis nostræ reuertamur, adde, quod Typorum vsus, quo præcipue rerum mirandarum notitia ad exteros, posterosque transmittitur, quo tempore sacram Domum è Syria ad nos euectam fuisse constat, desiderabatur; Siquidem Polydoro Virgilio teste, non nisi sub anno supra millesimum, & quadringente-

Polid. de rerum inuen.

si-

ſimum quinquageſimo primo repertus eſt: Romam verò delatus decimo quarto ab ipſa typorum inuentione.

Ad hæc ſub eiuſdem ad Illyricos Tranſlationis tempore ob Purpuratorum Patrum diſſenſionem, qui Nicolao IV. Romæ apud S. Mariæ Maioris Baſilicam è viuis ſublato, Peruſium, nouum electuri Pontificem, commigrarunt, per biennium, & menſes aliquot ſummus Pontifex deſideratus eſt. Quamobrem non ipſa tantum Italia, ſed vniuerſus Orbis, parente amiſſo, ac pernicioſa nouæ electionis mora detentus, ad alia intendebat animum præter quam, ad ea, quæ Illyricis, aut Picenis afferebantur nuncijs. Et bello per Romandiolam, Aemiliam, Etruriam, Apuliam, Campaniam, Latiumque pertinaciter exardente, nouaque per illud temporis ad Imperium Adulphi Haſſiæ Comitis aſſumptione detenta Germania: & hoſtilitate, ac bello apud Gallos, Angloſque recrudeſcentibus; quicquid nunciaret Illyricum, aut Picenum nemo, vel ſui tantùm compos, nulliſque diſtractus curis, nedum Orbis nouitate ſolicitus, aduertebat animo.

Quibus præter alia temporum incommoda accedebat tam dira, quàm inueterata Guelſorum, ac Gibellinorum factionum, ſiue partium

tium varia Nationum consectatio, qua penitus se laceratam, atque conuulsam tota sæpius vidit Europa: vidit, & per multas ætates ingemuit.

Vnde bellorum studio vnaquaque in Vrbibus, Oppidis, Villis, Pagisque Pube dedita, literisque prorsus aliena, mirum non est, si eo tempore eloquentes defuerint Historici, qui præter nunciata, quæ fiebant vbique prælia, quæ admiranda passim accidebant, narrarent, ac memoriæ proderent.

Nec minor iam dictis calamitatibus hæc; Quando, paulo post ipsam Translationem Apostolicæ Sedis per Clementem V. in Gallias transmigratio subsecuta est; vbi per annos, circiter septuaginta commorata, tunc varijs dissensionibus afflictata; magis ad armorum tumultum, & ad se se inuicem insectandos, lacerandosque, quàm ad vitæ modum cum pace degendæ, siue ad literarum disciplinam, ad historiarum scriptionem, aliasque ingenuas artes perdiscendas quisque aduocabat animum.

Igitur ob varias huiusmodi perditorum temporum perturbationes, motusque accidisse credendum est, vt rerum vel memorabilium notitia prætermissa fuerit, quin posteritati commendaretur; Enimuero in his casibus contingit,

git, vt dum quisque credit, non defuturos, qui vulgò notiora scribant, & alienæ fidei, ac diligentiæ plus tribuit, res ipsa vel scriptione dignissima à plerisque negligatur. Veluti à Iosepho rerum Iudaicarum diligentissimo inuestigatore, alijsque eius temporis scriptoribus nulla penitus fit mentio de dirissimo Infanticidio Herodis iussu facto; Cuius quidem famam ipsos Imperij fines peragrasse; certissimum est. Qua etiam ratione nec de Probatica Piscina, cuiusuis generis morbos graues, pestiferosque depellente, vt ipsi Hebræi Christi operibus aduersantes factitabant: Nec de insigni miraculo ad vitam quatriduani Lazari reuocati, de quo per totam Iudæam manauit fama: Nec tandem de maxima Lunæ, Solisque defectione, quæ præter solitum, dum Christus pateretur, accidit; non tantùm Syris, & Aegyptijs, sed Græcis, Italisque notissima, ex antiquioribus præter Euangelistas, & Areopagitam, quemquam meminisse, aut obseruasse legimus.

Postremò ponamus, Scriptorum neminem extare, qui de hac sanctissimæ Domus Translatione accuratius disserat, an non ipsa Populorum traditio antiquis relicta monimentis, atque ad nos transmissa æque ac ipsa poterit historia? Quod enim ferè totum habemus nonne ex con-

continuata multorum sæculorum traditione? Vnde nam Euangelia, quæ nec ipsi negant Aduersarij? Vnde Apostolorum Epistolas, Canones, & Decreta accepimus? An non ab antiquis Patrum Concilijs ad nos per traditionem deuenerunt? & ipsi Hæretici vnde Ciceronis volumen (ad cuius eloquentiæ normam se totos conformant, confinguntque: quamque non deerit qui pluris ducat ipso Verbo Dei) vnde acceperunt? Nonne ex ipsa traditione? Num quæ varie scribuntur ab Historicis per traditionem tantùm accepta, erunt falsa, & inania? Scilicet Eusebius, qui à Christi Natiuitate trecentis, & vltra exactis annis suam scripsit historiam, ac nonnulla enarrat, de quibus alij, qui adfuere minus meminerunt: Necnon Liuius de Romanis Annalibus tam optimè meritus, Plutarchus, Suetonius, Dion Cassius, alijue, quibus Hæreticus fidem non abnuit, qui historias suas ex aliorum traditione, ac relatione texuere, mendaces erunt, & vaniloqui? Qui sana est mente dijudicet, & veræ orationi adhæreat, & rationi. Optime quidem certe Leander Albertus:* Adamantinos esse ait, qui veritatem huiusce diuinitus factæ Translationis adeò toti exploratam Orbi denegant.

* In sua Ital.

SA-

SAGITTA VI.

Ecclesiasticos Præsules in sæculari illius Ciuitatis regimine, in quod de facto se ingerunt, interesse habentes, nullam fidem in hoc mereri.

CLYPEVS.



VT Quisque contemptissimus, & maximo ludibrio est (Seneca, sui sæculi morum vindice maximo, Authore) ita solutissimæ linguæ est. Verba perpendamus, & si quid habent mysterij interpretari legitimè conemur. Ecclesiasticos (ait) Præsules nullam fidem in hoc mereri. Qui nullam fidem promerentur: Ecclesiastici sunt Præsules. Ergò qui fidem promereri debent, posito, vt ipse in eadem obiectione tacitè ponit, factum accidisse, erunt Præsules, siue Magistratus sæculares? Proh magnam Sacrarum Literarum, in qua demersus versatur, ignorationem? Proferat ipse Aduersarius testes huiusce opinionis? Quis vnquam ex Euangelistis, Apostolisque id scriptis commendarit suis? sique ipse nullum certum te- De Cõc. cap. 11.

ſtem præter ſui ſimiles adhibuerit, quos fideliores etiam, quàm Apoſtolos, & Euangeliſtas vocitare nō erubeſcit; Noſtra Eccleſia, ſupra Catholicam firmæ Petræ ſoliditatem fundata, hæc dictitantes tamquam monſtra deteſtatur: illosquè tantùm recipit, Doctoresquè admittit ſuos, quos à reliquorum Patrum ſententia minimè diſcrepantes agnoſcit.

Quod autem, In hoc, ait, nempe quod diuinitus aſſeritur Sanctam Domum è Syria aduectam; in alijs ergo rebus ſignificat Hæreticus, atque infert, ijſdem fidem haberi poſſe: ſi in alijs, cur non in hoc? Vnum hoc falſum ne, quod tota credit Eccleſia, cuius veluti capita ſunt Eccleſiaſtici Præſules, nos verò membra?

Fortaſſis vrgebit Aduerſarius, in hoc Præſules Eccleſiaſticos ex eo fidem non mereri, quod intereſſe habentes in illius Ciuitatis regimine, ne illo priuentur, multa confingere, ac comminiſci poſſunt: Ex quo conijcitur mendacium, vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ tam pernicioſum, vt idololatriam inducat: omnes ante hac Præſules, ab ipſa nempe Sanctiſſimæ Domus tranſlatione vſque ad noſtra tempora, commentos fuiſſe, & quidem ob intereſſe, vel vtilitatem ab ipſo regimine ſperatam, ac ſi nulli ſine

mo-

modi ad prouentus, redditusquè in Ecclesia nisì fraude, mendacioque conquirendos. Veritatis ignari, nostros Præsules, qui ex illius Ciuitatis regimine plus quidem oneris suscipiunt, quàm vtilitatis, accusant, quos laudare deberent. Nec animaduertunt, Pontificem, quem in his terris Dei personam gerere non ignoramus, Spiritu sancto ne fallatur, aut fallat edoctum, neutiquam permissurum fuisse, re incognita, pro vera Virginis Domo aliam factitiam à Fidelibus coli tamquam Idololatris, eiquè summam venerationem haberi: Nec Deum ipsum gloriæ suæ adeò solicitum, qui dixit: *Gloriam meam alteri non dabo*: Domum ipsam veram esse tot, tantisque rebus admirationem, stuporem, ecstasim in spectatores, experientesque inducentibus ad hæc vsq; tempora per tot sæcula fuisse comprobaturum, si id mendacio, & fraude Ecclesiasticorum Præsulum, in ea re interesse habentium, contigisse repertum esset: Quodue etsi in antiquiore tempore permiserit, ac tolerarit idololatriam, numquam signis eam, ac miraculis comprobauit: Et sì nè homo quidem, qui mendax solet esse natura, rem tantam, sine falsam, siue dubiam pro vera assereret, quantò minus ipse Deus, qui est ipsa Veritas, tot, tantisque veritatis testimonijs eam confirmasset.

Isa. 42

Vnde Ecclesia, hac errorum caligine circumfusa, meritò posset (quod absit) de illius prouidentia, & attestatione, cum dixit: * Ecce vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi: conqueri: seque ab eo relictam in tenebris lamentari.

Matt. 28 in fine.

Fatere igitur, non ab Ecclesiasticis Præsulibus ob interesse, vt blateras, siue vtilitatem à sanctissimæ Domus, siue illius Ciuitatis regimine manantem huiusmodi fictas, ac commentitias fabulas decantatas fuisse; sed rem ipsam ab oculatis testibus narratam: A traditione ad nos vsq; sincerè deductam: Ecclesiasticorum Annalium, veterumque scriptorum testimonijs confirmatam, quod supra ostendimus: Ab ipso Virginis Filio signis, miraculisque comprobatam.

Sed adhuc contentiosum funem trahit Aduersarius, cum non casu, sed consultò illa interserit verba: in quo, (scilicet, sæculari illius Ciuitatis regimine) de facto se ingerunt: Vnde crimen infert, nullo pacto ab Ecclesiasticis sæcularium Rerum publicarum rectiones præscribi debere: Sed qua lege, siue decreto interdicuntur?

Absque dubio obijcient Aduersarij, quod eorum seductor Caluinus verba: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic: interpreta-

li 4. Inst. ca. 11: 9: 8 Matth: 20

ta-

tatur: significat enim Christus non modò Pastoris officium distinctum esse ab officio Principis, sed res esse magis separatas, quàm vt in vnum coire queant. Proprium enim Hæreticorum est, in aliqua particula, seu clausula rem totam non concludente, dummodò sibi satisfacere videantur, immorari, ibiquè vim omnem argumentationis ponere.

Verùm vt ad hoc respondeamus. Christus Dominus, discipulos suos volens veræ studio humilitatis instruere, quando illi de maiori sede, & loco, quem apud ipsum Magistrum post resurrectionem eius habituri essent, contendebant, dixit: apud Gentes huiusmodi ambitum esse, vt quisque vel minor in maiorem dominari velit, sed eos non sic facere debere; sed quicumque voluisset inter eos maior fieri, eorum debere esse Ministrum, & qui primus, eorum Seruum. In qua sane re animaduertendum est, non Apostolis & futuræ Ecclesiæ à Christo interdictum fuisse sæculari regimine, cum bona possedissent; Non enim ignorabat, fideles suos post persecutiones, ac inuidorum calumnias Regna, bonaquè multa possessuros, quibus, nisi Apostoli, tunc ob odium ab Hebræis, Gentibusquè, verum nondum agnoscentibus, abiecti, repulsiquè; sub eorum tamen persona Episcopi, ac Sacerdotes

prę-

præfuturi erant: & sic etiam sęcularem aliquam Rempublicam administraturi. Sed eis interdictum fuisse, tyrannidē exercere more Gentium, quæ eo tempore in aliena plerumquè irrumpebant: in quæ subacta, non vt veri possessores, sed
Matt. 20. vt Tyranni dominabantur. Verba Christi perpende: *Scitis (inquit) quia Principes Gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos*: Gentium, ait, non Hebræorum, qui tunc Fideles habebantur: Maiores, ait, non Domini, nempe qui viribus, qui ope, qui authoritate, qui alijs rebus pollent: hi potestatem sub illo tempore in subiectos exercebant; Herodem enim quis ignorat, Regnum Israeliticum occupasse, non autem auita hæreditate accepisse: Romanos verò quo pacto in alienas Prouincias inuaserint, quem historiarum inuestigatorem præterit? Ne ergo Fideles Christi eorum imitatione aliena rapere discerent, ac tyrannidem more Gentium occuparent; sed vt quæ hæreditario iure possidebant, more Patrum, ac Pastorum regerent, & moderarentur,
vbi suprà dixit: Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic.

Nec Aduersarius, videns posse obijci exemplum Moysis, cum eodem Caluino subiungat, raro miraculo factum, vt Moyses vtrumque simul

mul sustinuerit, onusque illud impositum temporarium, donec res melius componeretur. Numquid Melchisedech non Regnum simul, & Sacerdotium gessit? Num Heli non Sacerdos, & Iudex etiam post latam legem in Populum Hebræum per quadraginta annos dominatus est, cuius tantummodò in filijs reprehendendis negligentia damnatur, non imperium? Et Samuel ex Leuitico genere nonne cunctis diebus vitæ suæ Israelem iudicauit? Nonne idem Sacerdos? Et licèt ex suo Canone cum Lutheranis Machabeorum libros Caluinus abiecerit, quòd suam profectò contumaciam liquidò coarguunt; secundum tamen veram Patrum sententiam nonne ijdem Sacerdotij, ac Iudicij plenam, nequè mutilam per annos plusquam centum potestatem gessere? Rarum ergo miraculum non est cur blaterando appelles.

Quod etiam factites, temporarium, falsum esse ostendit D. Augustinus, qui ostendit, eodem tempore ambos fuisse Pontifices Moysen, & Aaronem; ex eoque probatur, quod deposuit Aaronem Moyses tamquam Pontifex, consecrauitque Eleazarum eius filium in locum Patris, vt in sacris paginis habetur. Præterea si post Aaronem sacris initiatum non poterat amplius in vnam personam coire Principatus, &

Quæst: 23 in leuit.

Num: 20

Sa-

Sacerdotium, quomodo in Heli, vt ſuperius oſtenſum, per quadraginta factum eſt annos, vt idem Sacerdos eſſet, & Princeps? quomodo in Samuele per totum penè vitæ ſuæ tempus?

Quibus adde quæ poſt ipſos Apoſtolos nobis à ſanctis, doctiſſimisque viris tradita ſunt. Sanctus Clemens SS. Petri, & Pauli auditor tradit, S. Petrum ſpirituales quoſque, ac Sacerdotes, ſuper carnales, vel laicos inſtituendos docuiſſe: redditque rationem: *Quia pro minimo nobis eſſe debet, vt à talibus arguamur, ac iudicemur. & alibi: *Pulchra eſt (inquit) Chriſtianorum hominum laus cum nemine litigare; ſed ſi alicuius opera, aut contentione quapiam factum fuerit, vt incidat eis lis, dent operam, vt dirimatur, quamuis opus ſit aliquid damni facere: & non ſolùm non adeant iudicium Gentilium, ſed nec patiantur, vt ſæculares Magiſtratus de cauſis eorum iudicent: tandemque concludit. Aſſiſtant autem in iudicio Diaconi, ac Presbyteri, qui citra acceptionem perſonarum tamquam homines Dei iuſtè iudicent.*

Epiſt: ad Iacob.

li: 2: c: 44 de Chriſtian. iudic.

Neque cauſa vlla eſt cur dicas, Hæretice, id tantùm ad Eccleſiaſticum ſpectare iudicium, nempè, ſi Clerici cum Laicis rixentur, vt eo caſu non ſæcularis Poteſtas adeatur, ſed eorum Præſules;

à

à quibus vel corrigantur, vel secũ de pace conueniant. Enimuerò quòd etiam ad cunctos Christianos id attinere certum sit, D. Ambrosius in eamdem cum Clemẽte sententiam descendens confirmat: qui præmittens, peccatum esse, vt frater cum fratre litiget (neq; tamen frater, qui Ecclesiasticus est, tantùm intelligendus, sed ex Fidelibus quisq; cum danda sit opera, vt concordes sint quasi germani; * Quamuis autem (inquit) Christianos litigare non deceat, tamen, si graue quid fuerit, & quod contemni non possit, causam ad Ecclesiam deferant, ne forte damnum, & offensionem incurrant.* Hæc ille. In cõm. super ep. S. Pauli 1 ad Cor.

Cui adstipulator est D. Anselmus* In hoc (ait) peccare Christianos, quod ad sanctos negocia sua non deferunt: probatque ratione: quia vtique qui Mundum iudicaturi sunt, non sunt indigni, ea iudicare, quæ Mundi sunt. Eique adhæret D. Bernardus:* Non est (inquit) bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu Apostolicis Viris, iudicare de talibus, quibus datum est iudicium in maiora. super eã. dẽ Epist. lib. 1. de consid. ad Eug. III. de sæcul. iudic.

Quod si exemplis hoc ipsum optas confirmari, præter multorum, ad hæc nostra tempora Præsulum, qui sanctimoniæ sæcularem quodammodo adiunxere prudentiam, D. Augustini instar omnium tibi sit exemplum, quem

S. Possid. in vita S. Aug. S. Possidonius Episcopus Calamensis, eiusdem doctissimi Antistitis Auditor, asserit, cuiusque Sectæ hominum causas audiuisse diligenter, ac piè, sed tamen maluisse inter incognitos, quàm inter amicos causas dicere; quod inter incognitos eum, pro quo arbitrata cum æquitate iudicaret, amicum acquirere posset: de amicis verò vnum esset, contra quem sententiam ferret, perditurus.

Idque rationi adeò semper congruum, consonumq. visum est, vt vel Fidei expertes hoc agnouerint. Nonne in Romanis legibus à Romulo, vel à quouis alio ad Populum latis, traditum est: Patres sacra, Magistratusque soli perагunto.

Apud Aegyptios, vtpote qui propiores Hebræis, à quibus & ritus, & mores mutuari potuerunt, vt ex Platone patet, non licebat Regibus imperare, nisi essent etiam Sacerdotes. in Dialo: de Regno

Sed quid plura? Non aduertunt Aduersarij, dum in nostris Præsulibus sæcularem aliquam damnant administrationem, singularem præcipuè in eorum maximo fautore, ac nequitiæ vindice, in Henrico, inquam, primario Anglicanæ Ecclesiæ, ac portentoso Capite, reliquisque illius Regni successoribus, se condemnare audaciam; qui sibi non Regni tantùm apicem, sed & Sacerdotij summam, &

Ec-

Ecclesiastici Capitis nomen falsò, immeritòque adscribi à subditis iusserunt. Et quis illi, veluti Gallinæ albæ filio, isthæc indulsit, vt ipse Rex sæcularis, caputque Anglicanæ sit Ecclesiæ, minusque liceat Pontifici nostro, & Ecclesiasticis Præsulibus, quibus semper totus Catholicus Orbis huiusmodi detulit appellationem? Proh dementiam! Atquì si ipsa Veritas hoc ore fateretur suo, dum est peruicaci error in Intellectu, Hæreticus stultorum more illam quoque mentiri asseuerare non vereretur.



SAGITTA VII.

Atteſtationes Romanorum Pontificum, Primatum ſibi vniuerſalis Eccleſiæ vſurpantium, ſufficientem miraculi fidem non facere.

CLYPEVS.



NON me latet, Lutherum damnatum Apoſtatam morti proximum hanc ſuis Alumnis, ac Poſteris reliquiſſe benedictionem: Impleat vos Dominus odio Papæ, & illius Hierarchiæ. Quamobrem minus miror, ſi Aduerſarius, voluntatis pertinacia, non autem rationis ignoratione à vero fidei tramite aberrans, Summo Romano Pontifici, locum his in terris pro Chriſto gerenti, Petri, ac reliquorum Pontificum ſucceſſori, atteſtandi, tantique miraculi fidem faciendi facultatem adimit.

Cuius ergo erit poteſtas hæc? Primi ne Lauretanæ hiſtoriæ Scriptoris? & hunc barbarè locutum, vt idem ſæpius repetamus, factitatis. Certæ forſan traditionis? & hanc clam carpere

re

re non veremini; palam enim si traditioni aduersarentur hostes, vniuersi quippe Mundi contra se odium excitarent; traditione enim dicamus necesse est, Mundi creationem, cunctasque ad hæc nostra tempora deductas Historias consistere.

Oppugnatio quidem, quod spectat ad Summos Pontifices Christi successores, Lauretanam nobis veritatem attestantes, responsionem non meretur: vtpote leuis. Ne tamen solitæ seriem defensionis prætermittamus, quàm sit eorum damnanda opinio, qui negant, Romanos Pontifices huius fidem facere posse miraculi, ex eo liceat arguere, quod apud Dionysium Corinthiorum Episcopum habemus, Romanorum Pontificum Epistolas publicè diebus festis in Ecclesia illum legi mandasse, ac si idem Dei verbum in eis contentum fuisset.

Quod autem ijdem Romani Pontifices Primatum sibi Vniuersalis Ecclesiæ vsurpent, sua quidem vsurpant iura retinentque: nec occupant aliena, sed propria. Quibus in persona Petri dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc 10. 21.
petram edificabo Ecclesiam meam: *Pasce oues meas. Pasce agnos meos. *Si enim Petro: cur non & legitimis illius successoribus? forrasse tantùm in Petro, & cum Petro fundata, adulta-

tàque Ecclesia debebat senescere, ac terminare?

Nec dicas, Christi verba omnibus Apostolis
2 Corint. cap. 11 fuisse communia, cum Paulus de se dicat*: Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum*; siquidem vni tantùm:* Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Eccle-
Io. 21. siam meam* & vni tantùm: * Simon Petre, diligis me plus his: Pasce oues meas: Pasce Agnos meos. *Quo vno sensu eadem Christi verba vniuersa Concilia, vniuersi Ecclesiæ Patres interpretati sunt. Quorum ne Catalogus hic recenseatur, Generale Chalcedonense Concilium sufficiat, quod sæpius Sanctum Leonem Vniuersalem Episcopum vocat, Pastoremque Vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, Adde Cypriani insigne testimonium qui præ-
Lib. de Eccles. vnit. in princ. clarè quidem; supra vnum Petrum Ecclesiam suam à Christo ædificatam ostendens, ait:* Vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem, sua authoritate disposuit: Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur, Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur: & Pastores sunt om-

omnes, ſed Grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur. Hæc illc.

Idemque Primatus vni tantùm Romano Pontifici debitus vel ex ipſa antiquiſſimi ſanè temporis præteritorum Pontificum conſuetudine colligitur, & authoritate :

Ferendi Vniuerſæ Eccleſiæ leges, omnesque ad ſibi parendum cogendi :

Vices ſuas tenentes vbique conſtituendi: Legatosque vel ad ipſos Garamantas, & Indos, vbicumque Chriſtiana viget Religio, mittendi;

Concilia omnia Generalia confirmandi, omnemque illis authoritatem tribuendi :

Epiſcoporum denique omnium appellationes ad ſe delatas recipiendi.

Quod enim legum editio ad Romanos ſpectet Pontifices: & eas condere illis vtcumque libeat, liceat, patet tum ex Decretalibus, quibus, teſte Iſidoro, cum per illud tempus vniuerſalia nequirent cogi Concilia, per eoſdem Romanos Pontifices tota regebatur Eccleſia: Tum ex Prouinciarum, necnon Epiſcoporum vbique degentium conſultationibus. Vnde enim ſancti Irenæi ad Romanum Pontificem allegatio? Nonne ab Epiſcopis Galatiæ ob natas de Fide

con-

controuerſias? Et ipſe Polycarpus Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ Auditor nonne ad Anicetum Pontificem Romanum pro diſceptatione definienda, quonam tempore Paſchalia peragenda eſſent, confugit? Quodque hi, qui per ſe minus accedere poterant, literas, contentionesque omnes ad Apoſtolicam, Romanamque Sedem, quibus reſponderetur, quæque dirimerentur, mitterent: teſtes ſunt Cypriani, & totius Affricæ Epiſcoporum, Ioannis Chriſoſtomi, Theodoreti, Athanaſij, aliorumque ad Romanos Pontifices ſcriptæ, datæque literæ, inter quas eæ potiſſimum quæ ad Cornelium, Iulium, Lucium, Stephanum, Damaſum, Innocentium, ac Cæleſtinum inſcribuntur, maximam de hoc fidem faciunt, aſtruuntque.

Quod præterea poſſit Romanus Pontifex Fideles cunctos cogere, vt obedientes ſe exhibeant, Romanæque Sedi præſto ſint, teſtimonio comprobatur, vt ex Euſebio patet, Victoris Papæ, qui multas Aſiæ Eccleſias ex communicationis vinculo adſtrinxit, quod in Paſchalium ſolemnitate cum Romana Eccleſia minus conuenirent. Quam quidem ſententiam Sacroſancta Nycena Synodus confirmauit, vt idem refert Euſebius. Innocentius etiam huius nominis Primus Papa Arcadium, & Eudoxiam Orienta-

ta-

tales Imperatores anathemate perculsit ob D. Chrysostomum in exilium pulsum absque Romanę Sedis consilio,& authoritate. Qua quidem pæna haud quaquam se alligari permisissent tanti Principes, nisi in Pontifice Romano Primatum totius Ecclesiæ reueriti fuissent.

Eiusdem quoque Sedis Apostolicæ esse antiquissimam consuetudinem, vt diuersis Prouincijs det Vicarios, certosque leget homines, quorum iudicio stent exortæ disceptationes; quæue nisi per eos dirimi queant, ad Sedem Apostolicam deferantur; quæ de summi Pontificis iudicio illas, sedet, componatque, probatur ex Epistolis Simplicij, ac Gelasij summorum Pontificum ad Episcopos Dardaniæ circa Episcopum Constantinopolitanum deputatum in Vicarium apud Aegyptum. Quod munus habuit, exercuitq. etiam Episcopus Alexandriæ tempore Cælestini Primi in Occidente: Idque confirmant verba D.Leonis Papæ ad Anastasium Episcopum Tessalonicensem à se in Oriente Vicarium constitutum, vbi: Quoniam (inquit) sicut Prædecessores mei Prędecessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exempla, vices mei moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuersis Ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ man- Ep. 84.

H sue-

ſuetudinis effectus, adiuuares : & longinquis ab Apoſtolica Sede Prouincijs præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes ; quia de continente, opportunoque proſpectu promptum tibi eſſet cognoſcere, quòd in quibusque rebus vel tuo ſtudio componeres, vel noſtro iudicio reſeruares*.

Quod generalia Concilia non niſi de Summi Pontificis Romani authoritate fuerint celebrata; teſtis eſt Marcellus in Epiſtola, in qua de Romanę Eccleſię Primatu agens, & authoritate: *Simulque ijdem (ait) inſpirante Domino conſtituerunt (Apoſtoli ſcilicet) vt nulla Synodus fieret præter eiuſdem Sedis authoritatem. Et S. Athanaſius: *Scimus (inquit) ab omnibus in Nycena Synodo concorditer ſtatutum, non eſſe Concilia celebranda abſque Romani Pontificis ſcientia. Quam quidem ſententiam re ipſa comprobarunt veteres Patres, cum idem Primum in Nicæna Vrbe coactum à Siluestro ſummo Pontifice Romano confirmari voluerunt. Eamq; Synodum ſecuta eſt Chalcedonenſis, quæ ait: *Totum in Sedis Apoſtolicæ ſitum eſt poteſtate: & ita, quod firmauit in Synodo Sedes Apoſtolica, robur obtinuit: quod refutauit, habere non potuit firmitatem.

1. ad Ep. Antioch. Prou.

Epiſt. ad Felic.

Act. 3

Denique quod eadem Sedes Apoſtolica cuncto-

ctorum ad se appellantium Episcoporum perpetuò susceperit inuocationem, quem historiarum vel ignarum præterit? Zephirini, Fabiani, Sixti, Gelasij, Symmachi, Gregorij, aliorumq. summorum Pontificum veteres sanctiones euoluant, qui nescij sunt: & quid de appellatione ad Sedem Apostolicam dicant, qui legunt referant. Marcellus quippe huius nominis Primus Romanus Antistes in eadem ad Antiochenæ Prouinciæ Episcopos, quam superius citauimus, Epistola:* Si vestra (inquit) Antiochena, quæ olim prima erat, Romanæ cessit Sedi, nulla est, quæ eius non subiecta sit ditioni: ad quam omnes tamquam ad caput iuxta Apostolorum, eorumque Successorum sanctiones Episcopi, qui voluerint; vel quibus necesse fuerit, suffugere, eamque appellare debent; vt inde accipiant tuitionem, ac liberationem, vnde acceperunt informationem, atque consecrationem. Hæc ille.

Idemque exemplis comprobatur Episcoporum, qui ad Romanam Sedem confugere, ad quam appellauerant. Attici Veteris Epiri Metropolitani Episcopi ad Leonem Pontificem Maximum: Athanasij Alexandrinæ Antistitis Ecclesiæ ad Iulium: Chrysostomi Constantinopolitani Patriarchæ ad Innocentium:

& aliorum multorum, quorum Catalogum non est, cur hic recitemus, breuitati studentes.

Non igitur hæc iura vniuersalis Ecclesiæ Primatus Romani Pontifices vsurpant; quæ ab ipsis Ecclesiæ primordijs legitimè possessa, ad hæc nostra tempora iure omni retinent, possidentque.

Atquì si nolunt hostes Ecclesiæ Primatum Romano tradere Pontifici, cui nam is destinandus? Num Angliæ Regi? Testimonia veterum Patrum proferant, Conciliorum rescripta, Synodorum sententias, & si quas habent suffragantes citent leges. Nos quidem, veræ Dei Verbi inhærentes interpretationi, præfixa habemus Dominica Dogmata: * Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam: & * Pasce Agnos meos: pasce Oues meas; quæ non in solo Petro, sed in eius quoque legitimis successoribus agnoscimus. Vnde Anacletus: * Sacrosancta (inquit) Romana, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino nostro Primatum obtinuit. Et infra: * Ergo hæc Apostolica Sedes, cardo, & caput omnium Ecclesiarum, à Domino, & non ab alio constituta: & sicut cardine ostium regitur, sic huius Sanctæ Sedis authoritate omnes Eccle-

siæ

ſiæ Domino diſponente reguntur.

Non ergo ſufficiens erit, non vnius, ſed multorum Romanorum Pontificum atteſtatio, quæ tanti miraculi, Lauretanæ ſcilicet Domus diuinitus tranſlatæ, fidem faciat?



SA-

SAGITTA VIII.

Meliorem, ac saniorem Europa partem miraculo semper contradixisse.

CLYPEVS.



TANTAM sibi negandæ veritatis sumpsit Aduersarius noster libertatem, vt etiam quodlibet satis, superque conspicuum negare non erubescat. Non tamen mirum: cum enim peruicacia est in Voluntate, licèt præferat sacræ doctrinæ facem Intellectus, numquam tamen de suo sensu mouebitur homo: immò eadem iterabit, quæ vel Heraclito risum excitarent: telisque ad se defendendum vel aranearum vteretur.

Quæso oppugnationem cæteris diligentius inquisitam consideremus. Meliorem (inquit), ac saniorem Europæ partem miraculo semper contradixisse. Quænam (cedo) melior est, ac sanior Europæ pars? Si velimus hìc quas illa ambitu claudit suo regiones recensere vel Hispanias, Gallias, Belgium, Italiam, Insulasque

que adiacentes, vel Germaniam, Poloniam, Pannoniam, Græciamque; mendacium se dixisse, vel hyperbole vsum, fatebitur; Enimuero recensitæ Prouinciæ melior quidem, ac sanior Europæ pars est: & has huic miraculo non solùm numquam contradixisse, sed venerabundas priscam accolarum traditionem, Summorumque Pontificum in re tam admirabili grauissimas attestationes admisisse, luce clarius infra apparebit; Siquidem, cum Romani Pontifices sacrum locum in sui proximè tutelam esse voluerint, locum vnà cum Ministris, siue Ecclesiasticis, siue laicis à quouis Prouincialium Prætorum, etiam de latere Legatorum, iudicio exemerunt: sacræque Domui Templo magnifice extructo, alteros è marmore nobilibus imaginibus exculpto superinduxere parietes, illique preciosam valde supellectilem clargiti sunt.

Pius II. Senensis Lauretanæ Virginis, cuius opem implorauerat, patrocinio tormenti muralis ictu minime læsus, & aliquibus pro Sede Apostolica victorijs relatis, illùc profectus est: Domumque sacram veneratus, præsentiæ suæ authoritate, quæ ad fidem faciendam quàm maximè quæritur, commendauit: & in sui ipsius seruati monumentum, marmoream sphæ-

ram

ram, è bombarda nitratis ignibus explosam, cum Cruce auro, ac gemmis intertextam reliquit.

Clemens VII. necnon VIII. Paulusque huius nominis Tertius illùc Religionis causa profecti sunt.

Pius V. tum in Nepotis Cardinalis Alexandrini morbo, tum in Belli naualis apparatu aduersus Turcas, votiuas obtulit preces.

Hos alij Præsules secuti. Cardinalis Ceruinus, qui ad Pontificatum euectus Marcellus II. deinde vocatus est, prope Lauretum sibi domicilium elegit, vt crebrius sacros sibi parietes osculari, ac venerari liceret. D. Carolus, Borrhomęorum familiæ lux indeficiens, ad Lauretanam Domum sæpius religionis ergo peregrinus itabat: necnon alij multi, quos breuitatis causa omittimus.

Principes quoque laici vel Domum ipsam per se adiuere, vel suæ pietatis muneribus ad eam missis testati sunt, se numquam tanto miraculo contradixisse, sed cum meliore, ac saniore Europæ parte in hanc sententiam descendisse.

Quotnam ibi Imperatorum, & Augustorum Principum monumēta videre licet? nisi credant, hostes adeant, & verum probabitur, an commen-

mentitium, Argentea Beatissimæ Virginis Statua ab Archiduce Ferdinando Seniore Romanorum Rege oblata: Dona Caroli, & Massimiliani Archiducum: Mariæ, ac Margaritæ Austriacarum: Alia Archiducis Leopoldi, ac Cæsareæ Maiestatis adhùc viuentis, Virgini donaria quid significant? Num tantùm in ipsius Virginis honorem? Fortasse Delubra deerant in Germania Virgineo honori, ac nomini nuncupata, quæ possent ditari velut propria? Cur ad extera procliuiore sunt animo? An nominis, famæque memoria? Cur igitur, Regionum suarum spoliatis Templis, nostra hæc non veniunt exornatum cum hoc famæ, ac nominis aucupio?

Extat ibi munus è voto ab Henrico III. Galliarum Rege Lauretanæ Virgini elargitum cum inscriptione.

Vt, quæ Prole tua Mundum Regina beasti;
Et Regem, & Regnum Prole beare velis.

Et cor aureum, ac gemmatum Ludouicæ eiusdem Henrici Regis Vxoris. Eidemque, dum hæc scribimus, aliud simile munus à Regina Ludouici XIII. Galliarum Regis Matre transmissum accessit, Angeli ex argento Delphinum filij filium ex auro Lauretanæ Virginis offerentis simulacrum vnà cum duplici, summi

I qui-

quidem pretij, tàm Virginis, quàm filij capiti imponenda corona.

Et ne aliorum in Gallia Principum monumenta deessent, argentea simulacra duo Angelos præ se ferentia Ducis de Pernone, & Turris argentea Principis Condei testimonio comprobant, se huius quoque cum reliqua Ecclesia Catholica, quæ quidem melior, ac sanior est Europæ pars, esse sententiæ.

Longum esset hìc singillatim attexere, quæ votiua donaria, quæ votiuæ lampades, vestes, tabulę, peristromata, multorum ibi Principum Religione vel per se aduecta, vel per alios in Lauretanæ Virginis honorem, eiusque veræ Domus exornationem elucescunt ex auro, argento, gemmis, sericoque siue ab Aragoniæ, Hispaniarumque, siue à Poloniæ, Boemiæque Regibus, ac Cognatis Principibus, vel à Veneta Republica, necnon à Magnis Ducibus Etruriæ, Sabaudiæ, Mutinensium, Parmensium, Mantuanorum, Vrbinatium: vel à longinquis, Bauariæ scilicet, Lotharingiæ, Austriæque Principibus oblata.

Quorum pietatem in Virginem, ac Religionem quàm maxime Illustrissimæ feminæ æmulantes (quippe femineus sexus pronior ad pietatem vbique conspicitur) eamdem Domum

hu-

huiusmodi ex auro, argentoque donarijs, necnon lapidibus pretiosis non locupletarunt inquam, sed ad summum vsque cumularunt.

Quibus Munerum significationibus accedunt Peregrinationes Principum. Quos inter Archiducis Caroli Austriaci filius ex voto ab Ispurgo Lauretum multo cum comitatu pedester accessit. Guillelmus Bauariæ Dux non cognitus Lauretum adiuit, oblatosque sibi ob loci reuerentiam honores respuit. Raynutius Parmæ Dux habitu infra dignitatem suam absconditus, tribus tantùm associatus comitibus pedestri illùc venit itinere, & ab hospitio nudatis pedibus ad sacram perrexit Domum. Ioanna Austriaca Magni Ducis Etruriæ Coniux, à longe Lauretano conspecto Templo, è lectica egressa, pedestris reliquum viæ spatium ad ter mille passus confecit: locumque ingressa, ibidem precibus vacatura quietius, pernoctauit. Christiana quoque Ferdinandi Magni Ducis Etruriæ Coniux illùc cum ingenti Assectatorum numero profecta, cinereo tamen, abiectoque vestimento superinduta; vbi primùm Lauretanam prospexit Domum, reliquum iter pedibus confecit: & non prius Beatæ Virginis Domum, quàm sacra confessione ritè expiata, ingredi voluit. Christer-

na Daniæ Regis Filia, & Lotharingiæ Dux, necnon Caroli V. Neptis, paralysi vehementer afflictata, vt sanitatem veluti confidebat, recuperaret, vel inuitis affinibus, lectica se ad sacram Domum ferri voluit: vbi, in eam gestatoria sella peruecta, illicò conualuit, quingentis circiter Aulicis de tam fælici euentu obstupescentibus, remque mirandam attestantibus. Quid amplius? Non hæc igitur erit melior, & sanior Europæ pars?

His addi possunt multarum Ciuitatum vnanimi Ciuium consensu votiuæ preces, vota signa, propensique ad huius sanctissimæ Domus veneratione animi. Quarum Elenchum, ne nostra longior iusto sit responsio, alijs retexendum relinquimus: tantùm Parisiorum publicum sub Gregorio XIII. ad Aedem Lauretanam votum enunciatum summatim referemus eâdem, qua publicis tabulis rescribi iussere, lingua.

Le predette necessità furono si terribili, che aumentaronsi le preghiere à Dio ogni giorno, & in vna Congregatione della Città si fè voto in nome di tutto il Popolo Parigino à nostra Donna di Loreto: e si promise, che quanto prima la Città rimanesse libera dall'assedio, si presentarebbe à quella S. Casa vna Lampada, &

vn

vn Nauilio di argento andante à piene vele, che è l'arme del Comune, pesante trenta Marche, insieme con altre oblationi, e ringratiamenti. Il voto si celebrò nella Chiesa del Duomo, oue raunaronsi li Magistrati: Il Parlamento di tutte le Camere vestito di rosato: Il Preposto de Mercanti con gli Esclauini, & Deputati del Comune con i Ministri, e Sargenti loro armati: e li Theologi della Sorbona: & il Legato con i suoi Prelati, il Vescouo di Parigi, & altri Vescoui: e cantossi la Messa: e predicò vn gran Maestro di sacra Scrittura à tanto, che consolato rimase quel Popolo.

Obiectionem quoque refellunt plura in eiusdem Virginis Lauretanæ per varias Europæ partes erecta Templa, variaque Sacella ad ipsam veritatem firmandam: veramque in Piceno sitam procliuis vbique Populi Religione tamquam vero testimonio comprobandam.

Neque est, cur Aduersarius exultabundus Angliam obiectet, siue Daniam, vltimamque Thulen, siue Belgij Oppida rebellantia, siue Pannoniæ, Illyrijque Turcarum oppressa tyrannide, siue Græcum Schisma, & huiusmodi; hanc enim non esse meliorem, saniorem que partem ipsa quoque iurabit Europa.

Num lacus Lemani accolæ Caluinismo labo-

borantes melior, ac ſanior eſt Europæ pars? Num Heluetij ijſdem polluti ſordibus? Num Batauì, Angli, Scoti, Dani, Sueci, Gothi, Vuandalique: quique in Germania Luthera-no inficiuntur veneno: aut qui Othomanni-cam amplectuntur ſectam, Europæ melior, ac ſanior habenda pars eſt? Iſthoc melius, & iſthæc ſanitas nobis, qui Europæ præcordia dicimur, adempta, extremisque illius partibus ab Aduerſarijs attributa, qua in re conſiſtit? In veræ doctrinæ laudibus? Et hæ Romano prædicantur eloquio, non Gothico, non Anglo, non Batauo. Num in veræ agnitione Fidei? Et quò ab ipſa Chriſtiani nominis origine in controuerſijs, dubijsque de Religione, ac Fidei rebus appulſum præterquam Romam?

Hæc ergo ſanior, ac melior Europæ pars: hæc ſana præcordia toti corpori præſagiunt ſanitatem, ſi velut membra capiti ſuo cohæreant, pectorique: Illam verò, quam ipſe hoſtis intelligit meliorem, ac ſaniorem Europæ partem, diuulſa nos membra vocitamus: nec nos tantùm, ſed ipſa Europæ partis conſtitutio quodammodo definit, dum veluti extremæ partes, à præcordijs ſcilicet, & capite longius diſſitæ, ipſius veræ fidei caloris expertes, penè ęterno ignorationis occupantur frigore. Vnde morboſæ

ſem-

ſemper, & variarum Sectarum, tamquam ſcaturientes fiſtulæ, noxium pus, putremque ſaniem emittunt, & penè inſanabilem; Eo enim calore priuantur, quo frigus poſſet expelli, & in optimam reduci ſanitatem.

Fortaſſis Aduerſarius ad Lemanicas conſtitutus Aquas, ſe non in extremis conſtitutum partibus blaterabit: ſed prope viſcera, immò ſe verè ſana eſſe præcordia, vnde tota reliquo corpori ſanitas promanare poſſit. Ipſæ Galliæ fateantur, quid ex Vgonotarum ad Lemanos fluctus propinquitate quondam acceperint: ipſa tot Populorum perduellio ſub Henricis II. & III. & ſub Carolo IX. Galliarum Regibus teſtis erit certiſſima, quid incommodi, quid miſeriarum, quid calamitatis in Gallos vniuerſos inuexerint hæ ſanæ, ac meliores Europæ partes.

Melior quippe, ſaniorque Europæ pars ea eſt, quam vel nunquam, vel rarò hæreſis labes inquinauit: & hanc Italiam fuiſſe, Vrbemque Romam totius Mundi caput, quis ibit inficias? Si enim aliquando Italiam hæreticæ perfidiæ peſtis peruagata eſt, non ibidem exortam, ſed aliunde quiſque fatebitur inuectam. Roma verò ab ipſis ſuis in vera Fide natalibus, quam ſemel admiſit, numquam dimiſit; quin im-


imperterrita, seu Tyrannorum insectationibus concussa, seu malorum Christianorum Schismate perturbata, in veræ Petræ soliditate firmata constitit: & ab Apostolis acceptam fidem intemeratam, incorruptam, impollutam hucusque seruauit, & ad vltimam Mundi constitutionem, terminumque eamdem seruaturam speramus, & credimus; vt penitus adimpleantur oracula:* Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

Lucæ 22.

Sed ne Barbarorum quoque desint testimonia ad ridiculam Aduersariorum oppugnationem proterendam, cum meliore, ac saniore Europæ parte illam pariter includamus, quam etiam ipsi à Christiana fide alienam dictitant. En cuiusdam Turcarum Prætoris (Baxaem vulgus nuncupat) notissima attestatio. Qui cum desperato affligaretur morbo, extremumque proximè spiritum esset exhalaturus, quodam ex Christianis mancipio suadente, vt Lauretanæ Virginis opem imploraret, vt primum ad Virginem, licèt in Fide alienigena, preces effudit, beneficium sensit, gratiam retulit, muneribus ad Sacræ Domus exornationem missis, literisque Arabicè scriptis, quæ factum testarentur. Idem Iudæus fecit: fecere & alij, quos non in saniore, ac meliore Europæ parte reponimus.

Ad

Ad hæc igitur quid Aduersarij? Num quæ ſuperius oſtenſi plenam illis fidem facere poſſunt, vt credant, ſe ridiculum oppoſuiſſe, cum dicunt: Meliorem, ac Saniorem Europę partem miraculo ſemper contradixiſſe?



SAGITTA IX.

Ipſoſmet S. Domus Miniſtros adeò de veritate Tranſlationis dubitaſſe, vt de illa Dæmones in obſeſſis interrogauerint.

CLYPEVS.



OC poſito, quod certè non nouimus, eiuſmodi interrogationes ab aliquo ex Miniſtris S. Domus emanaſſe, Lydius ne factus eſt lapis Aduerſarius noſter cuius attritu aurum, ſiue argentum dignoſci queat interrogationum noſtrarum? Enim verò veluti conſcius, quid album, quid nigrum: ſi quid vel interrogando, vel faciendo aggredimur, quonam id propoſito à nobis fiat, audacter dijudicat.

Dicat obſecro, mihi Oppugnator, quando Saluatori noſtro in Geraſenorum regionem appulſo occurrit de monumentis, homo in ſpiritu immundo: ipſe verò illum interrogauit:
Marci 5. Quod tibi nomen eſt (cum ſpiritu enim loquebatur) ſciebat ne nomen, & multitudinem eorum,

rum,

rum, qui corpus illud obſederant, Chriſtus? Hæſitabat ergo Dominus, & hæſitatione ductus, ne nomen, ac numerum ignoraret, percontabatur ab obſeſſo? ò temerarium dictum, ò cogitatum audax! Sed ne Chriſtum omniſcium ipſe laudet, nos verò vtpote homines condemnet: dicat num ſemper hæſitet qui alios interrogat, quod ipſe apprimè callet. Veluti ſi quis modo, Romani Imperij, ecquiſnam teneat iura ſciſcitetur; non illum de Ferdinando Imperatore hæſitare, ſed vt vel nomen, regnantis addiſcat, vel huiuſmodi: quod non ad dubitationem, ſed ad ignorationem potius referendum eſt. Id ipſum contigiſſe dicendum, ſi quando accidit à noſtris, Dæmones fuiſſe interrogatos; ſcilicet non hæſitationis cauſa, ſed ad rei veritatem magis confirmandam, id eos egiſſe.

Et ſanè, apud veteres Fideles in more poſitum fuit Dæmones interrogare, eoſque ad fatendam veritatem exorciſmis compellere. Hinc Tertullianus in Apologetico noſtræ poſteritati reliquit.* Edatur hic aliquis (inquit) ſub tribunalibus veſtris, quem Dæmone angi conſtet, iuſſus à quolibet Chriſtiano loqui, ſpiritus ille tam ſe Dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo. De quo cap. 23

Li. ad Demetr. Afr. Proconf. etiam Diuus Cyprianus ait *: O si audire eos velles, & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eijciuntur: quando eiulantes, & gementes voce humana, & potestate diuina flagella, & verbera sentientes venturum iudicium confitentur. Veni, & cognosce, vera esse quæ dicis. Et infra: Videbis nos rogari ab eis, quos tu adoras: Videbis sub manu nostra stare vinctos, & tremere captiuos, quos tu suscipis, & veneraris, vt Dominos. Certe vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris, quando conspexeris, & audieris, Deos tuos quid sint interrogatione nostra statim prodere, & præsentibus licet vobis præstigias, & fallacias suas non posse celare. Hactenus ille. Et Iu-

H&. de verit. Christianæ Relig. stinus Martyr de terrore, quo Dæmones, IESV nomine audito, quatiuntur, ac de obedientia, quam vel coacti huius nominis virtute imperantibus præstant:* Eius nominis (inquit) potentiam Dæmones tremunt, & reformidant: Et hodie quoque illi per nomen IESV Christi Crucifixi nobis parent. Ac demum S.

Serm. 92. Ambrof.* Non accipio (inquit) à Diabolo testimonium, sed confessionem: Inuitus dixit diabolus, sed exactus, ac tortus.

Quam-

Quamuis autem, quod nos minime quidem latet, Dæmones sæpe conentur incautos mendacijs fallere, Diuina tamen virtute coacti tandem fatentur veritatem, vt bene aduertit Tertullianus, vbi: * Et tamen ille Dæmon (inquit) postquam circumstantes circumuenire tentauit, instantia diuinæ gratiæ victus, id quod in vero est inuitus confitetur. Quod sæpius euenisse plurimæ narrant historiæ, sed præcipue cum Delphicum, totoque Orbe celeberrimum Oraculum paullo antè, quàm Christus nasceretur Octauio Augusto Apollinis, à quo se genitum existimabat, sub ipso Hecatombes sacrificio, Deo tamen disponente, hæc dedit responsa. lib. de anima ca. 33 circa fin.

Me Puer Hebræus Diuos Deus ipse gubernās
Cedere sede iubet, tristemq. redire sub Orcū
Aris ergo de hinc tacitus abscedito nostris.

Non ergo Sanctæ Domus Ministri Dæmones exorcismis vexandi potestate fulti, si quando, vt tu dicis, illos de veritate rei interrogarunt, id ambiguitatis causa fecere; sed vt etiam mendacissimi spiritus ore veritas ipsa magis innotesceret.

SA-

SAGITTA X.

Tabulas votiuas Miraculorum etiam Dæmonibus familiarium non bene in confirmationem Sanctæ Domus afferri.

CLYPEVS.



D maiora procedit Aduersarius Atheismo penè propinquus; miraculorum enim gloriam diuinę tantùm potentiæ debitam etiam dæmonibus attribuit. Ob inscitiam excusandus: ob pertinaciam damnandus. Tamen ex ordine rem propositam discutiamus.

Tabulas (ait) votiuas non bene in confirmationem sanctitatis Domus afferri. Si credere nos putas è tabulis votiuis Domum ipsam effici sanctiorem, allucinaris; Quam enim per se Verbi præsentia sacrauit, non indiget huiusmodi adminiculis, vt sanctior fiat, & augustior: Nec votiuæ tabulæ sanctitatem afferunt loco; sed ob ipsum locum Christi, Virginisque præsentia consecratum, & in accepti beneficij memo-

moriam, suspenduntur. Et quidem ex antiquissimo Ecclesiæ more. De quo si quis dubitat, legat Paulini Nolani Præsulis Carmina, in quibus morem tangit vsitatum apud Fideles tabellas pictas; siue incisas argento de Templis suspendendi, quibus, quæ à Sanctis accepissent beneficia vota reddentes alijs demonstrarent; inquit enim: * De Diuo Felice.

Hi leues titulos lento poliant argento,
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis.

Cui accedit Sophronij Episcopi Hierosolymitani authoritas: necnon Theodoreti, qui de his sic ait: * Votorum reos persoluisse in locis sacris alios oculorum, alios pedum, alios manuum simulacra; & suspendisse ex auro, argentoque confecta, gratissimaque Domino Martyrum accidisse. Subiungitque: Sic verò fideliter precatos ea maxime consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persoluunt, manifesta nimirum sanitatis indicia. * Et alibi: Hæc itaque omnium spectacula exporrecta testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt à sanitatem consecutis allata. * Act 3. sessi di Cōcil. Nic. lib. 1. Græcar. affectionum.

Non ergo recens est hæc institutio; sique mira fiunt in Sacratissima Domo, quorum non qui tantùm experiuntur, sed qui oculati sunt

testes spectatissimam hanc fidem facere queant; cur non est relinquenda posteris tantorum miraculorum memoria? Cur non bene in confirmationem sanctitatis Domus possunt offerri votiuæ illæ tabulæ?

Quod autem Aduersarius ait, miracula esse etiam Dæmonibus familiaria, hinc patet eum penitus ignorare, quid sit miraculum, cuius sit vera edere miracula, cuiusue rei gratia edantur. Num miracula sunt præstigiæ? vel quæ ab aliquibus manuum, ac digitorum agilitate præstantur? Nos miraculum dicimus, quod præter naturam accidit, quod non nisi diuinitus posse contigere asseueramus: & hæc Dæmonibus esse familiaria, aut etiam possibilia negamus; quandoquidem, præter naturam immutare illis neutiquam quicquam permittitur: aliquid ostentare; sed ordinem, tenoremque naturæ permutare nequaquam possunt. Hoc vnius Dei esse, qui supra naturam, ipsiusque naturæ est Dominus asserimus. Id quod omnium, qui sacræ Theologiæ scientia clari sunt, suffragijs facilè probatur, & præcipue Sancti Thomæ, qui vera miracula non nisi à Deo fieri posse demonstrat, quod vnus ipse naturæ seriem conuertere, ordinemque variare queat, præterea nemo.

par. 3. q. 49. art. 2.

Num

Num ab inferis defunctum excitari Dæmonum potestate posse dictitabit Aduersarius? Cur igitur tot veneficijs deditos, vnde propagari posset veneficiorum secta, qui se Dæmonibus debitum Deo obsequium præstare iurant, non iterum vita functos ad vitam reuocant?

Num sanitatem depulso morbo Dæmones possunt restituere? Si vim herbarum ipsis ex naturali scientia cognitarum adhibeant, illam quippe restituent. Quod ex nostris Phisicis plurimi. Nulla tamen herbarum vi adhibita, sed illorum tantùm nomine implorato, an possit ægris aliqua reddi salus, ipsi fateantur Aduersarij: & si quid veri possint afferre propalàm deducant ad nos conuincendos. Qui cum vera tantùm à Deo edi miracula fateamur, Dæmonibus signa, præstigias, ac prodigia solummodo attribuimus ex diuino Oraculo: * Surgent Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia: signa (inquit) & prodigia, non miracula: quorum quidem Etymon est in sacris Paginis, eorum, quæ solus Deus, & per illum alij edere possint.

Matth. cap. 14.

Hinc in Exodo Miraculorum veritate per Moysen editorum Magorum prodigia, vanæque ostentationes refelluntur: datisque mani-

L bus

bus hi, cum neutiquam possent cum illo mirabilia patrante æmulatione contendere, vel
Exod. c.8 inuiti confessi sunt: * Digitus Dei est hic. * Et si naturæ Ordinem inuertere Dæmones possent, non semel certe isthæc Mundi constitutio fuisset ab illis conuersa, & in aliam mutata.

Si quæ autem præter naturam huiusmodi à Veteribus enarrantur, quæ miraculi faciem præseferant, non esse vera miracula, sed prodigia, & signa, quibus vel Electi in errorem possent induci, & Dæmonum illusiones, ac præstigias, probatur ex diuersitate finis, ac potestatis, quibus distinguuntur, vt docet S. Augustinus, his verbis: * Cum talia faciant Magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt; talia quidem visibilia esse apparent, sed ex diuerso fine, ac diuerso iure fiunt: Illi faciunt quærentes gloriam suam: Isti quærentes gloriam Dei. Et illi faciunt per quædam Potestatibus concessa in Ordine suo quasi priuata commercia, vel beneficia: Isti autem publica administratione, & iussu eius, cui cuncta creatura subiecta est. * Hæc Augustinus.

Sed posito cum Aduersarijs, miracula etiam Dæmonibus familiaria, additoque (quod penitus religiosis, ac doctis auribus absonum, absurdumque est) vera miracula: Num quæ tot

ho-

hominum testimonio comprobantur edita in hac S. Domo, ab ipsis Dæmonibus patrata, fatendum est, an à Deo? Si à Deo, in Loci sanctitatis confirmationem certè credibile est: & sic in nostram Aduersarios descendere sententiam oportet: sin autem à Dæmone, quo nomine, qua specie id accidisse credendum? Si eo nomine, vt Fideles decipiantur: bona sanè (vt ita dicamus) deceptio, vnde in Deum, Virginemque Matrem religio augeatur, ac pietas: & ex effectu vel inuitus Aduersarius fateatur, necesse est, non aliam ob causam edita nisi, vt in omnes Mundi partes Dei, eiusdemque Virginis Matris honor latiùs propagetur, & gloria, dum eiusdem Domus sacrosancto Incarnationis Verbi Mysterio consecratæ nomen huiusmodi signis fit vbique celebrius, locique sanctitas augustior.



SAGITTA XI.

Oblationes ad excitandos Oblatores effictas, & inscriptionibus ostentatas nullum gradum probationis facere de rei Veritate.

CLYPEVS.



X ijs profectò infirmis oppugnationibus inſcitiam Aduerſantis quàm maxime redarguo. Quid ma. ge ridiculum, homines, vt alios excitent ad pecuniam è marſupio depromendam, ad oblationes faciendas, ad elargienda donaria, hæc talia effingere, & inſcriptionibus oſtentare. Hæreticorum, quorum ſimulata æquitas eſt duplex iniquitas, proprium hoc eſt, animas innocentium decipere, & palliatis rationibus, ac geſtis à recto tramite veritatis abducere.

Sed ponamus, & hæc à noſtris quondam efficta fuiſſe, vt hùc Hiſpaniarum theſauri aurei, Galliarum texta periſtromata, Germaniæ munera fabrilia, Europæ deniquè meliores diuitiæ traducerentur: cur & ipſi nos æmulantes

tes, non talia confingunt? Cur nisi Domum Virginis, saltem cæleste aliquid ad illos effluxisse simulant, ex quo fidelium turmæ ad illorum regiones conuolantes bonis omnibus hinc ad eos asportatis cumulent? Religiosi scilicet homines, Lemani lacus accolæ, non talia possunt effingere, qui noua legis interpretatione nouam sibi rerum Ecclesiasticarum administrationem confinxere, qua vtantur, communi Vniuersalis Ecclesiæ relicta. Nos quidem oblationes cunctas, quæ effinguntur, tam quam malas detestamur: idemque Deus derider, derident & Sancti.

Atquì singillatim discutiamus, quod objicitur: & si quid cum veritate affinitatis habet, illos verum dicere, fatebimur.

Diuinam improbat Aduersarius Translationem Sanctissimæ Domus, quam, cum votiuis tabellis ad eiusdem sanctitatis fidem faciendam contectam audiat, huiusmodi miracula non à Deo, sed à Dæmonibus edi posse contendit: Præterea quod sentit oblationibus ad summum eamdem exornatam esse, vt fidem sacro adimat Loco, illas ad excitandos oblatores effictas, & inscriptionibus ostentatas asserit. Verùm ex illo quærimus, num semper eiusmodi oblationes possint effingi ad aliorum

ex-

excitamentum: si neget, iterum sciscitamur, qua ratione possit dignosci (subtilis quippe mentis discussio, vt discrimen inter oblationem, & oblationem ponat) quænam efficta, & quæ non ficta, eidem loco, ijsdem ex causis, ab ijsdem fidelibus.

Quod si dicat, non hoc posse dignosci, Vnus Deus scrutatur hominum cor, præterea nemo; Quo pacto igitur ipsi, quod vni Deo tantùm ex diuina tribuitur potentia, sibi arrogant, vt asseuerent, Oblationes ad excitandos Oblatores effictas, & inscriptionibus ostentatas esse? Num in nostros ipsi tantùm (arrogantissimi quidem homines) penetrant animos: &, qua mente munera illi Sanctissimæ Domui dilargimur, certissimò agnoscunt? Et hæc cognitio illis tantùm, post trecentorum annorum spatium, quo S. Domus innumeris ex fidelium religione fuit cumulata donarijs, patuit, nullique nostrum?

Dicant, quæso, num fuerit efficta Constantini Magni oblatio, siue Pipini Gallorum Regis, qui (vt ex Leone Ostiensi constat) D. Petro, ac Apostolicæ Sedi ferè totam obtulit Italiam?

Lib 1. Histor. Cass.

An effinxerit Carolus Magnus eiusdem Pipini filius, cum eidem Diuo Petro Saxoniam, cuius victoriam illi acceptam referebat, oblatam

tam

tam voluit? vt refert D. Gregorius. 7. epist 6 lib. 7.

An fuerit efficta oblatio Regum Gothorum Hispaniæ Regni, quod ad intuitum Petri, Romanæque Ecclesiæ esse voluerunt, teste eodem Greg. Lib. 1 Epist. 10

Dicant num fuerit efficta oblatio, siue potius oblationis confirmatio à Ludouico Caroli Magni filio facta: necnon Othonis repetita concessio eorum omnium, quæ antea Imperatores, quorum ipse successor erat, D. Petro, Ecclesiæque Romanæ liberali sanè animo elargiti fuerant.

An simili modo efficta fuerit oblatio Alfonsi Primi Lusitaniæ Regis, qui, vt ex diplomate in antiquissimis illius Regni tabularijs asseruato patet, Regnum D. Petro, ac Sedi Apostolicæ cum annuo duarum auri Marcharum (vt vocitant) tributo obtulit.

Et an effinxerit Petrus Aragoniæ Rex, qui, vt Hieronymus Blanca, ac Hieronymus Pauli in illius Regni historijs referunt, prædictos æmulatus, Prouinciam illam, suæ ditioni subditam, D. Petro, Sediq. Apostolicæ oblatam esse voluit cum Tributo 250. Manozemusinorum (sic antiqui Glossarij appellant) auri.

Quoniam verò non Viciniores solummodo Prouinciæ, sed quæ sunt dissitæ, & inter

ex-

exteras recensentur, idem quoque fecerunt. Dicant, num fuerit efficta, quam fecit Ladislaus Latticus Poloniæ Rex, qui, vt Cromerus, & Spondanus sub anno 1320. referunt, eidem Petro, eidem Sedi Apostolicæ Poloniam cum denarij tributo viritim persoluendo obtulit: & quam multò ante D. Stephanus Primus Vngariæ Rex de suo quoque Regno fecisse constat.

Ex Epist. 113. Gregor. 7

Et quia non defuerunt Prouinciæ, quas, vt paulò ante demonstrauimus, meliorem, ac saniorem Europæ partem vocitant Aduersarij, quæ se se Sedi Apostolicæ re ipsa obtulere. Dicant, num fuerit efficta oblatio Regnorum Hiberniæ, & Angliæ à Regibus Ioanne, Inna, ac Salomone facta: necnon Offæ Regis Merciorum, Polidoro Virgilio teste.

Ac denique dicant, num fuerit efficta oblatio Comitis Mathildis, quæ Diuum Petrum, Sedemque Apostolicam Patrimonij sui reliquit hæredem, quod amplissimum in Liguria, & Etruria habebat; vnde nunc etiam ea pars Diui Petri Patrimonium appellatur? facile enim erit, has omnes oblationes diiudicare, Aduersarijs nostris, penes quos est animi, voluntatisque omnium nostrum integrum arbitrium.

Qui-

Quibus quæso addant, nùm fuerint effictæ olim oblationes, quas Diuino siquidem instinctu fecisse constat Primores Hebræorum Moysi ad Tabernaculi apparatum, & cultum? Et an effictæ, quæ sub Dauide, ac Salomone filio ad ampliorem eiusdem Tabernaculi in nouo Templo constructo cultum, exornationemque factæ? Et quæ sub Machabæorum tempore in eiusdem Templi restaurationem fuerunt congesta munera? Si enim contendant, quaslibet hucusque ab ipsis Mundi primordijs oblationes effictas fuisse, palmam solùm obtinebunt impietatis, ac sacrilegij, qui voluntatum arbitri esse volunt, ac animorum.

At forsitan non veteres oblationes, quarum quidem Iudex esse non potest Aduersarius, paulò ante in hanc lucem exortus, condemnabit; sed recentiores, cum præsens nunc, & oculatus testis in animi possit intima penetrare, & fictionem à synceritate distinguere. Causam proferat tantæ virtutis: sique adstipulatores habeat veterum Patrum codices, deducat. Cur nunc Christi Fideles quicquid Deo, Virginique, cæterisque Cælitibus siue Romæ, siue Parisijs, siue Constantinopoli, alijsque Mundi partibus, vel eiusdem Virginis Lauretanæ Domui fictæ offerunt, cur non

syncere? An tanta tenebrarum caligine opprimuntur animi, vt quicquid cum synceritate possunt, & hinc esse gratiosi apud quem deponunt oblata, eadem effingere velint, & ab accipiente donaria tamquam simulatores reijci, ac refutari? Equidem fateor in mentem meam non posse id huiusmodi venire.

De inscriptionibus nihil est, quod dicamus; etenim, si quo fiant, & curentur animo, velimus discutere, in eumdem, in quem Aduersarij, incidemus errorem; Quamuis enim laudabilis semper habita fuerit Constantini Magni modestia, qui, cum tam celebria, ac illustria in Dei, sanctorumque honorem monimenta nobis posteris, pietatis scilicet suæ certissima argumenta reliquerit, in nullis tamen sui nominis memoriam titulo, vel aliqua inscriptione, quoad nobis innotuit, commendari passus est. Quod qui ante eum fuerant Imperatores, magno quippe studio affectauerant, vt passim in ruderibus, quæ ex diruta excauantur Vrbe, cognoscitur: quorum qui optimus omnium censebatur, Traianum, quòd in singulis operibus à se magnifico quidem apparatu constructis, erectisque, sui nominis titulum affixisset, dicterio, & scommate lepidè quidem, & vrbanè derisit idem Constantinus di-

dicens, Traianum esse Herbam parietariam.

Haud tamen vituperandi sunt, qui inscriptionibus propositis suæ pietatis exemplum posteris æmulandum relinquunt; quandoquidem quo id animo effecerint, sciendum est antea; postea iudicandum. Et cum ignoramus, illorum religioni, ac pietati, quam cæteris exemplo esse volunt, tribuendum sane est, non autem ostentationi. Aliòquin ad quid illud venerandum in Euangelijs oraculum:* Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.* Quo pacto Basilicam, Ædiculam, Sacellum in Dei, sanctorumque honorem erecta esse cerneremus, nisi præsentes, qui posteritati student, sui memoriam lapidibus insculptam relinquerent, qua minores excitati, vel antiqua prorsus collapsa restaurarent, vel recentia meditarentur, vel æmularentur maiora? Et hæc ex illorum inscriptionibus, titulisque, non autem ostentatio, siue inanis gloriæ, famæ, nominisque aucupatio conijcienda est. Matt.c.5.

Mirum tamen esse non debet, hæc aliter videri Aduersario, qui ad Romani Oratoris dictum; vt pessimus est, ita de alijs pessimè suspicatur.

SAGITTA XII.

Plurima intra, ac circa Sanctam Domum contra usum antiquæ Ecclesiæ etiam de die ardentia lumina augere potius tenebras, quàm lucem asserta Translationis.

CLYPEVS.



IPPVS oculus Solare iubar inoffensus non admittit: iamque veluti Talpa lumen abhorret Aduersarius, & vt Vespertilio noctis amat tenebras. En lumina intra Sanctissimam Domum, ac circa eam fulgentia abominatur Instaurator Vigilantij hæreseos. Vellet, vt expers luminis Domus illa in tenebris, vt ille manutentans incedit, existeret, neque vera esse dignosceretur.

Siquidem illam nos tot luminibus non exornamus, vt hinc lux pateat veritatis Translationis; quandoquidem vel alibi in Ecclesijs, licèt non habitaculum Virginis extiterint, lumina succendimus venerationis, cultus, honoris, ac lætitiæ causa, non autem, vt loca san-

ſanctiora reddantur luminum, facumque elucеſcentium copia. Sed tamquam male agens Aduerſator odit lucem, amat tenebras, & quæ ibi in Sanctiſſimæ Domus fulgorem, honoremquè accenduntur lumina deteſtatur.

Atquì quòd contra vſum antiquæ Eccleſiæ id eſſe dicat, illius quidem admiror inſcitiam; quem latere non debebat, ad Gentes hunc vſum ab Hebræa religione vſque dimanaſſe: Cui imperatum, vt candelabrum aureum ſeptem habens infuſoria perperuò ante Arcam fœderis illuceſcens exiſteret. Exod. 25 Prout non debebat compertum non eſſe, quod refert Ioſephus, Antiq. li. 18. cap. 6. in Turri, cui nomen erat Antonia, vbi ſtola aſſeruabatur Pontificia, quotidie ſolitam incendi lucernam. Vnde facile potuiſſet argui: ſi Fideles Hebræi hunc luminum honorem iubebantur præſtare ſimplici Pontificiæ ſtolæ, qua qui vtebatur, forſitan non erat ea ſanctimonia præditus, vt aliquid ex ea in veſtes, quibus amiciebatur, poſſet infundere; per nos certe negari non debere, huic Domui Chriſti præſentia, ac tactu ſacræ, & ſummo religoinis cultu venerandæ.

Nec ignotum credidiſſem Aduerſario, Ethnicis eadem de cauſa conſuetis, lucernas incendere: Vnde Iuuen.

Et

Sat. 12 Et matutinis operantur festa lucernis.)

Sanctissimos Pontifices (Hieronymo in Vigilantium teste) cum subito veteris euelli radix superstitionis non posset, curasse, vt quod in Idolorum cultum præstabatur, id in Dei, Virginis, ac Martyrum honorem deinceps præstaretur: Vnde factum, vt qui lucernas præ foribus accendebant, ante imaginem aliquam id agere viderentur: & qui postes laureis coronabant: illos Ecclesiæ esse, publicæque lætitiæ, ac festiuitatis causam significarent (quod nunc etiam in plerisque Mundi partibus cernitur). Si enim Mater Ecclesia satius mores illos profanos in sacros conuertendos, quàm abolendos censuit: Quis iure (vt ait idem Hieronymus) calumnias inferet; si quæ olim Idolis, eadem modò Martyribus offerantur? Si quæ diebus Sabbati lucernæ accenderentur in Templis: eædem in Dei Genitricis honorem sint translatæ? Si qui in Saturnalibus Cerei erogabantur, in solemnitatem Occursus Domini, & sanctissimæ eius Genitricis fuerint permutati? Et quæ faces à Cerere in filiæ amissæ perquisitione fuerunt adhibitæ, eædem in Sacrorum pompis adhibeantur?

Quod si Aduersarius id ad noctis tenebras propulsandas adinuentum afferat; Nos à no-

stris

ſtris Fidelibus etiam rutilante ſole cereos accendi ſolitos fuiſſe probamus (eodem Hieronymo contra Vigilantium id aſſerente) vbi ait: Abſque Martyrum reliquijs per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accendunt luminaria iam ſole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.

Neque tantùm ad Euangeliorum lectionem lumina accendi, ſed ante ſacram Myſteriorum pompam cereos ferri ſolitos probat frequens huius rei Miniſtrorum mentio apud Cyprianum, Cornelium Papam, Euſebium, & alios.

Diurnum in Eccleſijs lumen accendi habemus à S. Paulino Nolæ Epiſcopo Diui Hieronymi coæuo, qui in Natali tertio Sancti Felicis Martyris id elegantiſſime comprobat his verſibus.

Clara coronantur denſis altaria lychnis:
Lumina ceratis adolentur odora papyris:
Nocte, dieq. micant: ſic nox, ſplendorq. diei
Fulget: & ipſa dies cæleſti illuſtris honore
Plus micat, inumeris lucẽ geminata lucernis.

Et cum vtroque conſentit Epiphanius, qui ſcribens ad Ioannem Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Antiſtitem, ait: "Cum veniſſem in Villam,

quæ

quæ dicitur Anablatha, vidissemque prætereuns ibi lucernam ardentem, interrogassemque, quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam* Et quæ sequuntur. Non enim admiratus esset lucernas de nocte coruscantes, quæ in cunctis domibus Ethnicorum, vel Scytharum habebantur.

Lib. I. Miracc. cap. 31. & 57. Quem plura oblectat audire, legat Gregorium Turonensem, qui exemplis, tamquam firmissimo testimonio, quod asserimus comprobat. De lychno perenni ante sepulchrum, in quo D. Thomæ Apostoli corpus fuerat reconditum apud Indos, eiusdem verba hìc libet attexere: *In hac igitur (inquit) æde magnum miraculum Deus ostendit; Lychnus enim inibi positus, atque illuminatus ante locum sepulturæ illius perpetualiter diù, noctuque diuino nutu resplendet, à nullo fomentum olei, scirpique accipiens: neque vento extinguitur, neque casu dilabitur, neque ardendo minuitur: habetque incrementum per Apostoli virtutem, quod nescitur ab homine, cognitum tantùm habetur diuinæ potentiæ.* Hæc ille; quæ sibi ab oculato teste, & fide digno narrata testatur.

Lib. 3. Dialog. c. 30. Cum quo consentit Gregorius Papa, qui referens, quid circa lampadas in Ecclesia Diuæ

Aga-

Agathę ad Suburram, quam ipse Pontifex ab Arianis vindicatam Catholico vsui restituerat, contigisse ferebatur, cum immisso diuinitùs lumine fuerunt accensæ.* Post paucos (inquit) iterum dies, cum, expletis Missarum solemnijs, extinctis lampadibus, Custos de eadem Ecclesia egressus esset, post paululum intrauit, & lampades, quas extinctas reliquerat, lucentes reperit: quas negligenter extinxisse credens, eas iam sollicitus extinxit, & exiens Ecclesiam clausit; sed post horarum trium spatium regressus, lucentes lampades, quas extinxerat, iterum accensas inuenit. Hæc ille.

Non igitur ad hanc antiquam, ac peruetustam in Ecclesia Catholica consuetudinem licebit lumina, quæ intra, ac circa S. Domum etiam de die ardeant, accendere?

Vnum hoc præterijsse nolim, ex quo conuincamus oportet exterorum etiam, & Infidelium in Virginem pietate. Narrat Burchardus, qui Loca sancta oculis diligentissime omnia est contemplatus, locum illum, in quo habitasse ferebatur Deipara in Aegypto, ab ipsis etiam Saracenis in magna veneratione haberi adeò, vt ibi lampadem perpetuò ardentem in memoriam IESV, qui illic olim habitauit, suo tempore conseruarent. Si Saraceni in

Virginis habitaculum pij, cur non item nos, qui in illius ſeruitutem à baptiſmate ſumus mancipati?

Denique dicat mihi Aduerſarius, quid illa ad ſpurciſſimi Lutheri in cinerem redacti corpus diurna lampas (vt referunt) ſemper accenſa? Ergo (proh temerarium!) licebit lampadem ſuccendere ad Lutheri cadauer: In Domo Virginis, in Domo, in qua ſalutis noſtræ fuerunt inchoata primordia, non licebit?



SAGITTA XIII.

Plerosque Lauretum concurrere inani Indulgentiarum spe.

CLYPEVS.



IAM incipit errori nostro, (si tamen error in veritate vnquam admittitur) album calculum Aduersarius adijcere, dum fatetur, plerosque Lauretum concurrere. Vtcumquè enim sit, dum vera Domus est, quæ Nazarethi fundamentis relictis, Angelicis est hùc ad nos asportata manibus, illam fideles venerantur: qui nisi de veritate, iam per tot annorum spatium cognita, constaret, eam scilicet Domum Nazarenam esse, Christi, Virginisque præsentia consecratam, & hùc Diuinitus aduectam, nequaquam ad eam concurrerent: Immò lapsu temporis deferbuisset frequens Populorum concursus: quem tamen certum est, in dies augeri. Vnde mirum quippe est, quòd pleri-

que relicta Domo, negociatione omissa, cæterisque curis posthabitis, Lauretum turmatim petant. Illusos omnes arbitratur Aduersarius inani Indulgentiarum spe. Post tantum ergo temporis spatium in nobis isthæc durabit illusio? Cur non ante Lutherum? Cur non ante Caluinum? Certe hi fuerunt nostræ illusionis detectores. Cur adhuc augetur in loci sanctitatem reuerentia? nisi qui à quò magis veritas impugnatur, illucescit magis.

Quòd verò spem Indulgentiarum vanam vocitet; hoc de more facit, qui veteri Catholicæ Ecclesiæ in cunctis aduersatur consuetudini: nouamque instituit formam in sola libidine contentam. Contrarium tamen nobis probatur ex S. Paulo, vbi ait: * Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia *. Hic enim Apostolus, ait se gaudere in passionibus pro alijs: hic in se ipso adimplere ea, quæ desunt passionum Christi pro corpore mistico Ecclesiæ. Et cum iterum suum ad eos pollicere-tur aduentum, vt veniens cuncta læta, ac tranquilla reperiret, adhùc absens, miseratione commotus, incestuosum illum, quem prioribus literis tradiderat Satanæ, iam indulgens ab-

Ep. ad Colos. 1.

2. ad Cor. cap. 2.

absoluit: Quod ab illis ratum haberi rogat, sic, dicens:* Sufficit illi, qui huiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus, ita vt è conuerso magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui huiusmodi est.* Hæc Apostolus: Qui etiam infra subdit: Cui autem aliquid donastis & ego; nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos, in persona Christi, vt non circumueniamur à Satana. Vnde etiam Dauid in Psalmo ait:* Particeps ego sum omnium timentium te: & omnes in Symbolo Apostolorum confitemur Sanctorum communionem. Psal. 118.

Proindeque Nicolaus I. postquam Matricidam detestatus esset, & seuerissimas luendas pænas imposuisset, subdit: tamen si illius conuersationem, & lacrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus, & optimis operibus pullulare, humanius circa eum solicitudo vestra peruigil appareat, mitisque in omnibus demonstretur. Ep. ad Ep. Argentoraten.

Primum magnum Nicenum Concilium de aliquibus excommunicatis ait:* Digne etiam excommunicati similiter habeantur quousque in communi, vel ipsi Episcopo suo visum fuerit, humaniorem circa eos ferre sententiam. Et infra statuit, vt pro animi ardore, quo quis su- Can 15. Can. 11.

susceperit, iniunctam peragere pænitentiam, possit Episcopus indulgentiam, ne præstitutum integrum tempus persoluere teneatur, illi præstare.

Et Innocentius III. (alijs sedulò omissis) in Magno Conc. Lateranensi, quò ingens Præsulum vndique numerus confluxerat, sanctimonia, necnon summa doctrina præditorum, indulgentiam elargitus est, nemine illorum Patrum Pontificis sententiæ refragante. Quod quidem non veriti fuissent, si quid nouum incæptari conspexissent.

Eamdemque concedendarum indulgentiarum facultatem penès Romanum Pontificem residere, approbarunt S. Hilarius, & S. Hieronymus, super verbis Christi apud S. Matth.* Tibi dabo Claues Regni Cælorum, & quodcumque solueris super terram erit solutum & in Cælis. Itemque approbarunt S. Ambrosius, S. Ansel. ac S. Dionys. super dictis verbis S. Pauli.* Cui aliquid donastis & ego, &c. vt supra. Ac demum approbarunt Origen. & S. August. ex verbis eiusdem S. Pauli:* Gaudeo in passionibus pro vobis, &c. iam præcitata.

Can. 18. Matt. 16. ad Cor. 2. Hom. 10 in num. Sup. ep. 61 Ad Col. 1

Id quod bene explicat Gregorius XIII. in Bulla Indictionis Iubilei ab eo celebrati his verbis.* Dominus, ac Redemptor noster IESVS

IESVS Christus, qui pro ineffabili charitate sua serui formam accipiens, acerbissimam Crucis mortem subire dignatus est, vt Deo Patri genus humanum reconciliaret, atque in sortem hæreditatis eternæ vocaret, volens nostræ plenius succurrere imbecillitati, vt donum hoc pretiosissimum ipsius sanguine communicaret, ne lapsis post regenerationis Lauacrum opportunum eiusdem Diuinæ misericordiæ deesset subsidium, B. Petro Apostolorum Principi, eiusque deinceps Successoribus, suisque in terris Vicarijs S. Catholicæ Romanæ præpositis Ecclesiæ, quæ cæterarum omnium caput, Mater, & Magistra est, potestatem dimittendi peccata plenissimam reliquit. Ac thesauro præterea immenso meritorum eiusdem passionis, cui etiam gloriosissimæ semper Virginis Mariæ, eiusdemque sanctorum merita accedunt, idcirco ditauit Ecclesiam Sponsam suam, eumque B. Petro, & Successoribus dispensandum commisit, vt ex eo cæteri Fideles pro temporalibus pænis ex remissis culpis sæpius remanentibus ad satisfaciendum adiuti, ad percipiendos cælestis gratiæ fructus expeditiores redderentur. Hactenus Gregorius.

In quo tamen insistendum non putamus,

tum

tum quia ab alijs fuit exactiſſime tractatum: tum quia contra Clauium poteſtatem ſummo Pontifici nullo diſcrepante conceſſam obijcitur: & contra id, quod, vt diximus, in Symbolo Fidei (Sanctorum nempe communionem) quotidie profitemur: ac demum quia vel ſolo, quo primarium Indulgentiarum calumniatorem Carolus V. deſcripſit elogio, refellitur: Caroli hæc ſunt verba. * Fuit iſte Lutherus non tam homo, quàm diabolus ſub humana ſpecie larens, qui aſſumpto Monaſtico cucullo varias olim damnatas hæreſes, lapſu temporis ſepultas, in vnam ſentinam congeſſit, ijſque nouas adiecit: quiquè quàm diligentiſſime Fidem ſuis inculcat non alio prætextu, quàm vt germanam Fidem ſubuertat. Hæc Carolus.



SA-

SAGITTA XIV.

Ridiculum esse, exteros etiam mortuos ad Lauretanam Ecclesiam ob eius sanctitatem sepeliendos deferri voluisse: multàque solemnitate fuisse sepultos.

CLYPEVS.



VO hic de more deridet Aduersarius, eò magis irridendus, quò maiorem rei gestæ præ se fert inscitiam: Vnum scilicet, aliquem ante quàm è viuis excederet, voluisse sanctiori humari loco: Alterum, cum solemnitate fuisse sepultum. Quibus, vt satis à nobis fiat, videamus

Quòd spectat ad Primum: An sit nouum, morientibus hanc venire posse voluntatem, vt aliquo sanctiori loco se humari iubeant. Qua in re legat diligenter Eusebium, qui, cum Constantini munificentiam in Principis Apostolorum Petri exædificanda Basilica descripsisset, addit. *Is igitur in opportunum venturæ mortis diem hìc locum sibi prouida dispositione designauit, incredibili fidei propen- Lib. 4. ca. 60. In Vita Constan. Imp.

O sio-

ſione prouidens, cum iam corpus ſuum communem cum Apoſtolis appellationem poſt mortem participaret, fore vt defunctus quoque precationum, quæ ibidem eſſent ad Apoſtolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur.* Hæc Euſebius. Vnde (inquit) S. Io. Chryſoſtomus. *Hic quoque (Conſtantinopoli nempe) Conſtantinum Magnum filius ira demum ingenti honore ſe affecturum exiſtimauit, ſi eum in Piſcatoris veſtibulo conderet: quodque Imperatoribus ſunt in aulis Ianitores, hoc in ſepulchro Piſcatoribus ſunt Imperatores: atque illi quidem velut Domini interiores loci partes obtinent: hi autem velut accolæ, ac vicini, præclarè ſecum agi putarunt, ſi veſtibuli ianua ipſis aſſignetur. Et alibi: * Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, ſi non prope Apoſtolos, ſed vel extra eorum veſtibula corpora ſua ſepeliantur, fiantque Piſcatorum Oſtiarij Reges.

Hom. 26. in 2. Ep. ad Cor.

Ho. quod Chriſtus ſit Deus.

Rationem præter eam, quam ſupra tangit Euſebius, reddit D. Maximus, dicens:] Ideo à maioribus prouiſum eſt, vt ſanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, vt dum illa Tartarus metuit, nos pœna non tangat dum illos Chriſtus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat.

Si

Si igitur ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis Fideles etiam Imperatores apud sanctorum ossa tumulari peroptabant. Cur non etiam licitum nunc, in ipsa Ecclesiæ pace, absque persecutionis tumultu, apud ipsam Domum, Christi, ac Virginis attactu per tot annorum spatium consecratam, sepeliendum securare?

Quod verò ad secundum attinet, nimirùm quod deridet Aduersarius, cum solemnitate defunctos sepeliri. Certe, si res ipsa postularet, diuersarum hìc nationum sepeliendi mores enarraremus; sed, reliquis omissis, de Sepulcrorum magnificentia, quid satis ornatè, superque dicat Marcus Tullius Cicero, aduertat Aduersarius: * Sed aliquantò post amplitudines sepulchrorum, lege sancitum est, ne quis sepulcrum faceret operosius, quàm quod decem homines effecerint triduo: neque id opere tectorio exornari: nec Hermas hos, quos vocant, licebat imponi: nec de mortui laudibus, nisi in publicis sepulturis: nec ab alio nisi qui publicè ad eam rem constitutus esset, dici licebat. Et Sylla legem constituit, qua funebres impensæ, & ambitiosæ exequiæ præscripto fine taxabantur: qui tamen in Metellæ Coniugis funere, legem suam transgressus, profusione maxima exequias dedit.

2. de legib. paulo ante fin.

Neque ſepulchra tantùm erant inſignia, ſed funera, quibus efferebantur cadauera vel maximè ſumptuoſa; nam lecto conſtrato purpura, aut linteis ſplendentibus, & in eo defuncti corpore collocato poſt vltimam conclamationem, tibicine præcedente, qui nęniam funebrem, qua laudes defuncti, & facta recenſebantur, caneret, funus procedebat, antecedentibus, & ſubſequentibus, qui veterum familiæ deferebant imagines, & quæ à defuncto res præclarè geſtæ fuerant, tabulis expreſſas: eòque inoleuit hæc ſepulcralis pompa, vt vel ea equos, canes, aueſquè olim (ridiculè tamen) quodam Parentis affectu dignarentur.

Sed mores Ethnicos Aduerſarius, in nobis ille vituperabit. Adeamus ſacra, profanis relictis. Funus legat Iacobo Patriarchæ à filio Ioſepho factum: Quo aſcendente (verba ſunt Dei) ierunt cum eo omnes Senes Domus Pharaonis, cunctique maiores natu Terræ Ægypti Domus Ioſeph cum fratribus ſuis abſque paruulis, & gregibus, atque armentis, quæ dereliquerunt in Terra Geſſen: Habuit quoque in comitatu currus, & equites, & facta eſt turba non modica. Ergo nouum ne apud nos, Fideles cum ſolemni pompa defunctis funus ducere?

In ca. 50. Geneſ.

For-

Fortassis Hebraismum abominabitur, qui nouam semper, ac diuersam sibi Ecclesiæ constituendæ formam quærit. Afferamus nostros in medium. In actibus Apostolorum quid legis? Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. Cap. 8. De quo D. Hieronymus ad Paulam scribens: Epist. 25. Quod Stephano (inquit) fecerint Hierosolymæ fratres planctum magnum: planctus magnus non in plangentium exanimatione, vt tu putas, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus est.

Ad Apostolorum igitur exemplum, quo Stephani corpus tanta funeris ambitione Fideles prosequi voluerunt, laudabilis in Ecclesia in defunctorum corporibus curandis consuetudo processit, vt illa ad Ecclesiam, siue cæmeterium: vbi sepulturæ committi debent, supremo ducantur honore.

Et ne Aduersarius contendat, fateri se quidem, mortuos solemniter consueuisse sepeliri, non ijs tamen, quibus Catholici vtuntur solemnibus, Missarum, & Anniuersariorum; Cum Psalmis, & Hymnis, Luminibusque, necnon etiam Aromatibus, ac Thure: quæ quidem illum detestari non ignoramus.

De Missarum derisione quid nobis probetur,

Orat. de fidel. def. tur, videat ex Sancto Ioanne Damasceno, aiente:* Apostoli, vt in tremendis, ac puris vitamquè afferentibus Mysterijs, eorum, qui cum fide diem extremum clausissent, memoria fieret, instituerunt. Cum quo consentit Chrisostomus:* Non temere (inquit) ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis Mysterijs defunctorum agatur commemoratio; sciunt enim, illis multum inde contingere lucrum, vtilitatem multam. Et S. Augustin. ait:* Orationibus autem Ecclesiæ, & sacrificio salutari, ac eleemosynis, quæ eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerint. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia.

Hom. 69. ad Populum Antioch.

Serm. 32. de verb. Apostoli.

De Anniuersarijs quoquè perlegat Gregorium Nazianzenum, qui in exequijs Cæsarij fratris ait:* Alia quidem persoluimus, alia verò daturi sumus, anniuersarios honores, & commemorationes offerentes.* Et Gregorio vetustior Tertullianus, ait:* Pro defunctis annua die facimus.*

De Corona militis

Psalmos de veteri consuetudine concini solitos, testatur D. Hieronymus, inquiens.* Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone Psal-

Epist. 27 de exeq. Paulæ.

mos

mos in ordine personabant non solum triduo, donec subter Ecclesiam, & iuxta specum Domini conderetur; sed per omnem hebdomadam, cunctis, qui venerant, suum funus, ac proprias credentibus lacrymas. De hymnis testes sunt Nazianzenus, & Chrisostomus, de quibus infra.

Luminum vsum testatur Pontius Diaconus de funere Sancti Cypriani Martyris his verbis: *Inde cum cereis, & Scholaribus in area cuiusdam Candidi Procuratoris magno triumpho sepultum est. Quod ipsum Gregorius Nyssenus factum tradit in funere Meletij, cum ait: *Quomodo vtrinque quasi ignei amnes continentibus facibus tractu continuo, perpetuoque fluentes, quoad oculi longissime prospicere solent, porrigebantur. Et Nazianzenus de Matre in funere Cæsarij filij faces gestante: *Cum multiplici (inquit) Hymnorum cantu deducitur, celebrique pompa ad Martyrum Sedem effertur, sanctisque Parentum manibus honoratur, matre accensas faces gestante. De quibus luminibus Chrisostomus: *Quid, ait, ardentes, quæso, lampades sibi volunt? nonne tamquam Athletas eos comitamur? Quid autem Hymni? non ne glorificamus Deum, & illi gratias agimus, quia iam defunctum co-

Pótius in eius vita.

Nyss. Or. in fun. Meletij Episc.

Orat. Funebr. in laud. Cæsarij Fratris.

ro-

ronauit, & ab incertitudine sublatum penes se retinet?

Quod demum spectat ad **Aromata** **Tertullianus** innuit, **defunctorum corpora lauari** solita, tum aromatibus condiri. Et Gregorius Nissenus in exequijs Meletij Antiocheni Episcopi ait: * Sindones mundi, & panni serici, vnguentum, & aromatum largitas, liberalitas mulieris ornatæ, & honestæ. Idque in spem resurrectionis, Christique imitationem fieri plerique aduertunt.

In Apol.

Et de vsu tradendi Thuris, hoc vnum sufficiat, quod inter alia, quæ in Concilio Chalcedonensi Dioscoro Heresiarchæ obiectabantur, erat, quòd in exequijs Peristeriæ pijssimæ fœminæ, quæ omnia sua bona pijs locis reliquerat, traditio thuris, quoad ipsum steterat, fuerat prætermissa.

Ad hæc quid Aduersarius? dabit ne manus tot veterum testimonijs conuictus in singulis? Numquid ipsi tantùm hostes nunc agnouerunt, hæc minus recte fieri, ac si semper ignari Fideles, & nescij rerum extiterint? Bone Deus? quare nos à vera luce tamdiu aberrare voluisti, vt per tot sæcula, quæ Fideles quàm maxime optauerunt, ridicula ea nunc à nostris vocitentur hostibus?

At-

Atquì quòd hæc omnia irrideat Caluinista, mirum non est, qui etiam ipsam Verbi Dei interpretationem, à tot sæculis vniuersæ acceptam Ecclesiæ abominatur, quòd illius testimonio conuictus, nequit miser subsistere, quin corruat: & aliam sibi somnians comminiscitur, vetere intrepretatione contempta.



SAGITTA XV.

Antiquum S. Domus cultum nouo, improbatoque peregrinationum vsu frustra probari.

CLYPEVS.



VAM longe peregrinatur à vero acutus hic Oppugnator. Qui superiùs plurimos Lauretum concurrere, aiebat, indulgentijs illectos: Nunc cultum sanctissimæ Domus non antiquum conatur ostendere nouo, improbatoque Peregrinationum vsu. Si intelligit de ipsius S. Domus cultu adhuc Nazarethi existentis, obiectioni satisfecisse credimus Clypeo contra secundam Sagittam. Si de cultu post illius in Picenum translationem: & huic credimus satisfecisse in Clypeo contra octauam.

Quòd verò nouum blaterat, & improbatum Peregrinationum vsum, vt in hoc quoque illi satisfaciamus; Omitto peregrinationem studiorum causa factam, quàm vel ipsi Philosophi

quàm

quàm maxime optauere: vnde & Pythagoram ad Memphyticos, Eudoxum ad Chaldæos. Homerum, Platonemque ad Aegyptios, Magos, & Persas, Tarentinosque, Democritum, Architam, aliosque aliò ad ingenuas artes, vbi lucidius effulgebant, addiscendas, peregrinatos legimus.

Omitto, cum quis Patria abscedens sua, negociationis causa, vel huiusmodi, peregrè proficiscitur; quam si tolleremus, vtiquè humanum quoque commercium penè tollere necesse esset: frustraque hospitalitatis officia olim indùcta; cuius quidem vis quanta apud ipsos Ethnicos esset, hospitales Iupiter, & Iuno testantur.

Omitto peregrinationem, in qua studiosi quidem Populorum, Nationumque omne tempus consumpsere. Vnde Homerus Vlyssem laudat per Orbem terrarum hac de causa peragrantem: Vituperati Lacones (Authoribus Theopompo, & Thucydide, qui legem sanxerant, ne omni tempore Peregrinis liceret Spartam adire, ne eorum Politiæ fierent æmuli, ac inde perdiscerent, quo pacto in virtute proficerent: Laudati Cretenses, quòd Hospitibus tum sellam, tum mensam tertiam, & ad dexteram ingredientibus cænacula collocarent: Necnon

Germani, quibus ius hoſpitij Sacramenti erat.

De Peregrinatione loquor, quàm olim vel Ethnici ſuſcepere, cunctique Populi: quæque à noſtris Fidelibus, more priſco in pium ſtudium conuerſo, complexa eſt, ad loca ſancta ſcilicet inuiſenda, ac veneranda, vel vbi Redemptionis noſtræ adhùc reſtant veſtigia, Chriſti præſentia conſecrata: vel quò ad Sanctorum corpora, aliudque admirandum, diuinitùs aduocatis Populis, conſpicienda, & adoranda concurritur.

De qua quidem peregrinatione quid apud gentes à fide noſtra alienas, idololatriæ verò deditas, ſibi volunt ſæpius celebrata Oracula, vel Delphica in Terris clariſſima, & religione longe excellentia, vel Parnaſſiaca, vel Cyrrhæa, vel Lycia, vel Pythia, & alia plurima, in quibus Apollo de futuris euentis conſulebatur, ad quæ ex omni Orbe, praua ſiquidem religione permoti, aliqua dignitate inſignes, frequentes conſultum ibant? Nonne illa peregrinatio dicenda eſt ad loca religione inſignia, & religionis cauſa ſuſcepta? Et hac de cauſa à Fidelibus noſtris ſuſcipiuntur itinera ad loca ſancta, religionis quippe ratione.

Hoc idem à primis, vel Hebraicæ, vel Chriſtianæ Eccleſiæ cunabulis obſeruatum, ne ethni-

nicismum obiectes, collige ex eo, quòd ter in anno ad celebratum in Silo Oraculum deberent Iudaicæ Tribus accedere: quin etiam, Templo à Salomone magnificentissimè constructo, ad illud eadem ratione, relictis etiam sine custode domibus, cum Coniugibus, liberisque peregre proficisci, lege cogebantur. Nonne illa peregrinatio? Nonne ad augustum locum? Nonne ad preces effundendas, offerendas victimas, gratiamque Dei vberius promerendam?

Præterea quid Pauli Hierosolymam profectio? Nonne vt Pentecosten ibidem faceret? certe non negociationis, sed causa religionis iter assumpsit.

Qui autem ex remotioribus tam Orientalis, quàm Occidentalis Orbis partibus, plurimi Romam venerint, vt Sacra Apostolorum sepulcra inuiserent, ac venerarentur, ex D. Chrisostomo intellige, qui *Seruorum (inquit) Christi splendida sunt sepulchra, quæ Vrbem maxime regiam occupauerunt.* Et infra: *Nam & ipse ille purpura indutus, peregrè proficiscitur, sepulchra illa complexurus, & fastu deposito contingit Sanctos, rogans, vt sibi apud Deum patrocinentur: & tabernaculorum opificem, & Piscatorem patronos etiam Ad Cor. 11. hom. 26.

mor-

mortuos deprecatur ille Diadema gestans: Alibique etiam:* Relictis (inquit) omnibus, ad sepulcra Piscatoris, & Pellionis currunt Reges, & Præsides*: Et August. de re etiam tanquam vetustissima hæc ait:* Olim Principes sæculi ad Vrbem Romam venerunt, non ad Templum Imperatoris, sed ad memoriam Piscatoris.* Quos præter alios recentiores Principes imitatus Carolus IV., Romam veniens, publicè Imperatorio diademate redimiendus (teste Nauclero, & Matthæo Villano) sub Peregrini venit habitu, nec antea se Regem ostendit, quàm Apostolorum Basilicas, maioresque Vrbis Ecclesias venerabundus visitasset.

Hō. quod Christus sit Deus. Super Ps. 88.

Nequè tantùm ad Apostolorum limina priscè fuit instituta peregrinatio, sed aliò quoque; nam vt Baronius obseruat, erat frequens accessus Fidelium Seleuciam Isauriæ ad S. Theclæ sepulchrum multis miraculis illustratum, & totius Orientis celebri Populorum concursu visitari solitum. Quò aliquando profectus est S. Gregorius Nazianzenus, vbi & diutius mansit. De qua ad eumdem locum peregrinatione mentio habetur etiam in Concilio Nicæno.

In notis ad Martyr. 23. Sept.

Et reliquis, studio breuitatis, ad alia pia Christiani Orbis loca peregrinationibus omissis, de

so-

sola Hierosolymitana audiat peregrinationum Obtrectator D. Hieronymum, illorum locorum, dum viueret, diuturnum incolam: qui :* Fateor (inquit) me explanationes in Danielem multo ante tempore promisisse, & occupatione de toto hùc Orbe venientium, implere non posse, dum nulla hora, nullumque momentum est, in quo non Fratrum occurramus turbis, & monasterij solitudinem hospitij frequentia commutemus in tantùm, vt aut claudendum sit nobis ostium, aut Scripturarum, per quas aperiendæ sunt fores, studia relinquenda.* Et ad Paulinum:* De toto (ait) hùc Orbe concurritur: plena est Ciuitas vniuersi generis hominum: & tanta vtriusque sexus constipatio, vt quod alibi ex parte fugiebas, hìc totum sustinere cogaris.* Et ad Marcellam ait:* Longum est nunc ab Ascensu Domini vsque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam; putantes, minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo corruscauerat.* Et infra:* Quicunque in Gallia sue-

In prohemio.

Epist. 13.

Epist. 17.

fuerit primus, hùc properat: diuisus ab Orbe Britannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, quærit locum fama sibi tantùm, & Scripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenos, quid Persas, quid Indiæ, quid Æthiopum populos, ipsamque iuxta Ægyptum fertilem Monachorum Pontum, & Cappadociam, Syriam, Cælen, & Mesopotamiam, cunctaque Orientis examina?* Qui etiam de sanctissima, ac nobilissima Paula Romana, & ipsius ardentissimo ad sacra loca peregrinandi voto, ait:* Sumptis Fidei alis Hierosolymam, & loca sancta videre cupiebat: tardi erant venti, & omnis pigra velocitas.


Epist. 27.

Neque Aduersarius dicat, Domini præceptum esse: Deum adorandum, & orandum in spiritu, & veritate vbilibet. Ad hoc enim idem Hieronymus super eisdem verbis respondet in hæc verba:* Non audeo Dei omnipotentiam angusto fine concludere, ac coarctare paruo terræ loco, quem non capit Cælum: singuli quique credentium non locorum diuersitatibus, sed fidei merito ponderantur: Spiritus vbi vult spirat: Domini est terra, & plenitudo eius. Non tamen hæc pugnant cum eo, quòd alibi plura fiant miracula, alibique orantes facilius exaudiantur.

Ad

Ad quæ quid nam Aduerſator obiectabis? Antiquum S. Domus cultum nouo, improbatoque peregrinationum vſu fruſtra probari? Nonne vides, eam, quæ in Loca ſancta Palæſtinæ erat inchoata peregrinatio, ad vnam Virginis Aedem, è Paleſtina diuinitus ad nos delatam, remanſiſſe vnanimi Populorum frequentia, & concurſu?

Verumtamen mirum non eſt, ſi ſemper noua tacitus opponat Aduerſarius, qui, cum obſtinatiore voluntate victas dare manus nolit, nouas ſemper quærit ambages, nouosque, ad quos confugiat, angiportus.



SAGITTA XVI.

Recentem Sanctæ Domus cultum niti Peregrinis, nouo eos illic hospitandi inuento illectis.

CLYPEVS.



ADEM per eadem, vt inquit Adagium. Qui Peregrinationis vsum nouum dictitarat, nunc nouum saltem tacitè Hospitalitatis inuentum proponit, quo Peregrinus illectus sanctissimæ Domus cultum recentem, vt effusit, efficiat.

De cultu ab eo tempore, quo S. Domus ad nos deuecta fuit, patet, vt diximus, ex Clypeo ad VIII. Sagittam: De antiquiore, vltra ea, quæ diximus ad II. vel ex eo constat, quod, cum illa inter alia esset Palæstinæ Loca, eò quoque itabant Fideles, vt ad cætera Christi, Virginisque præsentia consecrata, vti hic supra proximè præcedenti demonstrauimus.

Ad nouum verò quod attinet (vt blaterat) Hospitalitatis inuentum, preter multa, quæ superiori

ri Clypeo dicta ad eius peruicaciam, & historiarum ignorationem detestandam possunt satis esse, & opportuna; Quid in ipso Dei verbo legis Obtrectator? Hospes eram, & non collegistis me? An hæc dicenda hospitalitas, an (vt ita dicam) cauponitas.

Verùm quoniam Veterum testimonia vix ille recipit, repetamus exempla, an hisce permotus, se veritate conuictum, simulque persuasum fateatur. Abrahamus, cum tres vidisset, & vnum adorasset: * Domine (inquit) si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum; sed offeram pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore, ponamque bucellam panis, & confortetur cor vestrum, postea transibitis. Ad hæc quid? Num cauponariam exercebat Abrahamus, an hospitalitatis officium? Cap. 18. Geneseos

Sequenti capite de Loth quidnam legis? * Qui cum vidisset eos (duos nempe sub humana specie cælestes nuncios) surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque prorsus in terram, & dixit: Obsecro Domini: declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lauate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram. Et hunc alium appellabis Cauponem?

1.cap.53. Quid sibi illud Isaiæ Oraculum:* Egenos, Cap. 31. vagosque induc in domum tuam: Illudque Iob: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit: Necnon præceptum in peregrinantium fauorem Leuiticis Ceremonialibus conscriptum: * Post quam messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam vsque ad solum, nec remanentes spicas colligetis; sed pauperibus, & peregrinis dimittetis eas. Quid Paulus ad Romanos? Hospitalitatem (inquiens) nolite obliuisci. Quibus & causam superaddit. * Per hanc enim placuerunt aliqui Angelis hospitio receptis.

De Paula verò an non legis apud Hieronymum? * Nec multo post in sancta Bethleem mansura perpetuò angusto per triennium mansit hospitiolo, donec extrueret Cellulas, ac Monasteria, & diuersorum peregrinorum iuxta viam conderet mansiones, in qua Maria, & Ioseph hospitium non inuenerant. Ad quid nam Matrona illa nobilissima ante tot sæcula pro peregrinis erigi iussit hospitia? (prout alia postmodum plura in diuersis Orbis partibus erecta fuere) vt nunc dicatur à te, nouo hospitalitatis inuento illectos peregrinos recentem S. Domus cultum efficere?

Quàm quidem hospitalitatem etiam sancti Pa-

Patres plurimum commendarunt. Quos inter. D. Maximus: * Aduertit (inquit) Sanctitas vestra (fratres) Euangelicam lectionem, quemadmodum Dominus discipulis suis inter cæteras exequendas virtutes etiam hospitalitatis iura præscripserit: * Et infra. * Magna enim hospitalitatis est gratia, nec facile violanda: omnibus aperta est, omnibus parata est: & sanctos libenter suscipit, & peccatores tolerat patienter. * Hactenus ille. Hom. de hospit.

D. Augustinus: * Disce (inquit) Christiane sine discrimine exhibere hospitalitatem, ne forte, cui domum clauseris, cui hospitalitatem negaueris, ipse sit Deus. * Contra hæretic.

D. Chrisostomus: * Qualem (inquit) mercedem habet, qui propter Deum peregrinatur, habet qui suscipit peregrinantem: & fiunt ambo æquales & qui propter Deum refrigerat, & qui propter Deum laborat. * Sup. Matt hom. 11.

Et S. Ambrosius non solùm tantam esse, ait, apud Deum hospitalitatis gratiam, vt ne potum quidem aquæ frigidæ à præmijs remunerationis immunem afferat; sed eam laudibus extollens, subdat: * Est publicæ species humanitatis, vt peregrinus hospitio non egeat, suscipiatur officiose, pateat aduenienti ianua, immo quod valde id decorum totius est Orbis æstimatione, Lib. 2 Offic ca. 15.

pe-

peregrinos cum honore suscipere, non deesse mensæ hospitalitatis gratiam, occurrere officijs liberalitatis, explorare aduentus hospitum:* Hæc ille. Vnde summa ratione Magistratus, ac principales Oxirinchi Thebaidis Regionis commendat Euagrius (quem intimum Hieronymo fuisse non latet) dicens:* Ipsi quoque Magistratus, ac principales Ciuitatis, & reliqui Ciues studiose per singulas partes statuunt eos, qui obseruant, vt sicubi apparuerit Peregrinus, aut pauper, certatim ad eum currant, & qui præoccupauerit abducit, vt quæ sunt necessaria consequatur.*

Verùm etiamsi concedamus, illuc allici hospitalitate peregrinos ad S. Ædem peruisendam, Christique nutriculam venerandam, an ad malum aliquod eos perpetrandum adhortamur, inuitamusque? Sentias de Lauretana hospitalitate quicquid libet, tantùm nos in oculis Dei conscientia non accuset.



SAGITTA XVII.

Catholicam Fidem, ob cuius cessationem, vt dicitur, Translatio contigit sexcentos ante annos ob secta Mahomethana introductionem in Syria, defecisse.

CLYPEVS.



QVEMADMODVM qui in aquis demoritur, vt ingloriam fugiat mortem, etiam de nouaculis, vt dicitur, pendebit, nedum de ramusculis, vt inde, si possit, se eximat. Sic Aduersarius noster in suæ pertinaciæ pelago, verarum assertionum fluctibus obrutus, de ramusculis pendet, eius verbis scilicet aliquibus inhærendo, qui primus Lauretanam scripsit historiam: quibus veritatem Translationis nititur oppugnare: ait enim, Catholicam Fidem, ob cuius cessationem, vt dicitur, Translatio contigit, sexcentos ante annos ob sectæ Mahomethanæ introductionem in Syria defecisse. Ac si dicat: Vos dicitis, translatam Domum è Palęstinis locis ad vos ob Fi-

dei in illis regionibus cessationem, quæ in Syria sexcentos ante annos ob Mahomethanam sectam extitit. Ergo falsum proponitis: Ergo falsa quoque censenda Translatio?

Hic te velim Oppugnator: dumque tam diligens verborum, quæ in narratione dicuntur, es Censor, dicas, num ad rem ipsam hæc verba pertineant? Procul dubio cito asseres, pertinere, ipsaque primariam partem efficere. Nos autem contra; quandoquidem Domum sacram translatam diuinitus constantissime credimus ex iam dictis. Quod autem is, qui scripsit Historiam, dixerit, ob Fidei cessationem illam ad nos fuisse traductam, coniecturam vocitamus, cui certe non eadem, quæ Verbo Dei, præstanda est fides. Sic coniecit ille, Virginem, quòd in Patria regione filij sui cessasset Fides, Domum suam aliò voluisse transferri. Sin verò hæc fuerit causa, vel alia, quis cognitor? quis assertor?

Verùm, si tibi non tam testimonijs Veterum, quàm exemplis probaretur, hanc coniecturam non omninò futilem, aut inanem, sed veritati consentaneam esse: te verò toto aberrare historiarum Cælo; crederes ne? Quin immo alijs, obstrusis quidem argumentis, veluti Sepia, quæ ne capiatur, effuso commiscet

aquas

aquas atramento, iterum insurgeres, aduersaturus, & oppugnaturus omnia. Et ne videar verbis diuagari, intra veritatis cancellos occludamur ambo, & historiæ syncera perpendamus tempora.

Heraclio imperante, anno scilicet Christi trigesimo supra sexcentesimum, Mahometem, à quo improba Secta Mahometanorum, è vita excessisse, omnes ferè produnt historiæ. Paullò post, nempe anno eiusdem Heraclij vigesimo sexto, Vrbs Hierosolymitana à Saracenis sub Haumare eorum, Arabumque Principe capta fuit, totaque penè Syria eorum ditioni subacta. Erat tunc Vrbis Patriarcha Sophronius Spectatæ Vir integritatis, & Catholicæ Fidei vel aduersus Monothelitas, vel aduersus Sergianos propugnator accerrimus. Qui, cum subsequenti anno ob Vrbis excidium, Populique captiuitatem vehementer afflictus, ipsàque ætate ingrauescente defunctus esset, eiusdem fidei defensores, necnon sanctimoniæ plurimi extitere in Palæstina hæredes Episcopi: Cuius rei exploratissimum dedit testimonium Stephanus Dorensis Episcopus Romanæ Synodo sub Martino I. Pontifice: idemque Stephanus à reliquis postea Orthodoxis Episcopis pro ipsa Hierosolymitana Ecclesia Legatus

fuit ad Theodorum Pontificem Maximum : à quo datus Vicarius, eamdem Fidem retinendam, purèque conseruandam quamdiù vixit, curauit.

Præterea sub anno septingentesimo octauo, quo tempore Hæretico, qui Sophronio de facto successerat, diuinitus extincto, Orthodoxus Præsul eidem Ecclesiæ gubernandæ traditus fuerat: Hierosolymam profectus est ad loca sacra veneranda Ioannes Damascenus, quem Orthodoxum fuisse, & cum alijs plurimis in eadem Fide vixisse, neminem latet; Si enim Damasci Fides, quam Ioannes colebat, cur non eadem in alijs Oppidis, Vrbibusque?

Eiusdem verò sæculi, quod superius diximus, anno nonagesimo nono Hierosolymorum Præsulem per suum Monachum ad Carolum Magnum sacrosancti Sepulcri Redemptoris nostri claues misisse, Annales Christiani meminerunt: Ipsaque Francorum monimenta referunt, ab eodem Carolo more Maiorum collectam pro restauratione Templorum Hierosolymam mittendam indictam fuisse. Quod quidem, si fides cessasset, minus præstitisset.

Anno octingentesimo, ac duodecimo afflictos Fideles, qui Hierosolymis erant, Arabum tyrannide, ex eis plurimos à Palæstina in Cy-

prum

prum commigrasse, narrat Theophanes antiquus Auctor.

Eiusdem sæculi anno sexagesimo nono in octaua Synodo Constantinopolitana recitatæ fuerunt litteræ Theodosij Hierosolymorum Patriarchæ ad illius Vrbis Antistitem, in quibus eius temporis Catholicæ Ecclesiæ statum in illa regione sub Saracenorum iugo pace frui narrabatur, vtcumque cum trepidatione, ne aliqua occasione ab hoste Catholicæ Religionis arrepta, perturbaretur.

Anno millesimo nono licet Babylonis Principis iussu Hierosolymitanum Templum, (in quo Saluatoris erat Sepulchrum) Dirutum fuerit ob Iudaicos dolos, quos copiose Glaber, Fidelis illius temporis Historicus, memorat; Dei tamen beneficio illorum insidijs cognitis, maiore decore ibidem restauratum fuit, magnos etiam suppeditante in restaurationem sumptus Maria Azizij Babylonis Amirathi Matre, quæ Fidelis, & Fideli Patre genita illam, etiam adhùc sub filio Mahometano, clam excoluerat. Idemque Author narrat, ad excitati Templi Hierosolymitani famam de vniuerso terrarum Orbe incredibilem hominum multitudinem, gaudio quidem triumphantem, aduolasse, plurima munera in idem Templum restauratum delatu

ram. Quod si Fides cessasset, cucurrisset ne illuc Orbis?

Sub anno autem millesimo nongentesimo quinto, Vrbano secundo Pontifice Maximo, & Henrico huius nominis Tertio in Germania, & Alexio Comneno in Græcia imperantibus, cum periclitari videretur Orientalis Ecclesia; potissimum verò Hierosolymitana; Petro Eremita natione Gallo, Patria Ambianensi Simeonis Patriarchæ dignas commiseratione literas deferente, denuò actum est ab ipso Pontifice, vt ex Fidelibus cogeretur exercitus in illius Ecclesiæ periclitantis auxilium. Quo per celeberrimum Ducem Godifredum Bulionium ex Lotharingis Principibus præstito, eiusdem sæculi anno nongentesimo nono Vrbs Saracenis erepta fuit, Christianæque ditioni reddita; quod tam soluta quàm vincta oratione adhuc certa fama decantat. A quo tempore per centum, & octo annos à Christianis Vrbe, ac Regione dominata; Fidem, quæ Mahometanorum commercio plurimùm suæ synceritatis amiserat, pristino decori restitutam, non ignoramus.

Anno verò centesimo octogesimo septimo supra millesimum iterum à Saracenis, Duce Paladino Vrbs capta fuit: qui Fidelium familia-

ri-

ritatem deuitantes, ne accitis, vt antea factum, per literas Principibus, ac copijs, de recuperata possessione deturbarentur, cæperunt paulatim illos expellere; sed adhùc multis in locis Fides Catholica retinebatur.

Verùm sequenti sæculo à iam dicto, & quo tempore S. Domus translationem contigisse certò scimus, Ptolemaide capta, in qua præcipue Christiana Religio colebatur, alijsque Oppidis, penitusque Christianis expulsis, tota penè regio in eius deuenit manus, & detestandam Mahometes impietatem est amplexata.

Ergo non tam male qui primus Lauretanam scripsit historiam, coniecit, ob Fidei cessationem B. Virginem Domum suam voluisse transferri. Qua in re valde etiam illi suffragatur, quod in reuelationibus B. Birgittæ circa corpora Sanctorum Petri, & Pauli habetur in hæc verba: Filius Dei loquitur. Frater iste miratur, quare Apostoli mei Petrus, & Paulus in isto loco Catacumbas tanto tempore iacuerunt, & quasi neglecti? Respondeo tibi: Scriptura aurea dicit, quod Israel diù stetit in Eremo, quia malitia gentium, quarum terras possessuri erant, nondum completa fuit. Sic etiam erat de Apostolis meis. Nondum erat tempus gratiæ, quo corpora Apostolorum meorum exaltanda

Cap. 107 lib. 4.

da erant; quia prius debuit esse tempus probationis, & postea coronationis: & quia nondum erant illi nati, quibus honor ille exaltationis Apostolorum debebatur.

Sin autem inquiras, cur potius Nazarena Domus, quàm Hierosolymitana Sepulcralis Vrna fuerit translata, non tam altè nostra potest ratio penetrare, vt quæ penes Deum sunt, humano non inuestigandas sensu iudicia, perscrutari possit.



SA-

SAGITTA XVIII.

Reuelationes de hac S. Domo in somnis habitas esse somnia.

CLYPEVS.



AM lassus ad stragula propinquat Aduersarius, & dum somnia dicit esse Reuelationes de hac sancta Domo in somnis habitas, verè ipse somniatur. Ad Fidei quippe radices iam blasphemiæ securim infligit, dum oculatus omnia intueri desiderat, nihil ex fide, ita vt frustratoria censenda sint Christi oracula: * Beati, qui non viderunt, & crediderunt. * Ioan. 20.

Quonam igitur pacto reuelationes de Cælo debent esse? vt quis vero, vel ficto corpore appareat, loquatur, admoneat, & inde citus euanescat? Et si accideret, crederet ne huiusmodi reuelationi? Immo, si contra sensum, & opinionem suam contingeret, exclamaret, esse phantasma quicquid apparuit.

Vnum

Vnum palam impugnat Aduersarius, reuelationes videlicet de hac sancta Domo; Cum tamen in re adeo explorata id faciat, in cunctis eum credimus claudicare, & diuinarum esse reum reuelationum. Contra quem stant clara sacræ scripturæ testimonia, Angelum nempe Domini apparuisse in somnis Ioseph, & dixisse:

Matth. 2. Surge, & accipe puerum &c. Magos post adorationem responsum accepisse in somnis, ne
Ibid.
redirent ad Herodem: Quodque in Sacris pa-
Num. 12. ginis legitur:* Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.*

Quod si dicas: Cur autem per somnium? ex eo quippe, quod illo potissimum tempore segregatus à curis animus ea melius, quæ sibi à Domino proponuntur, potest intelligere: nullo rerum obiectarum præpeditus obice, perdiscere est aptior: & veluti à corpore seiunctus, facilius Deo coniungitur animus: & vt inde cognoscamus, vel dormientes à Deo instrui posse: vt apud Iob
Cap. 33. liquet aientem:* Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit Deus aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.

Ne autem existimes, omnibus esse credendum
Leuit. 19. somnijs contra Dei præceptum:* Nec obserua-

bi-

bitis ſomnia, illis tantùm fidem adhibendam dicimus, quæ à Deo præſtantur. Idque ex eorum euentu colligitur, quando vel idem diuerſis loco, eodem tamen tempore, perſonis apparet in ſomnis: vt apud hiſtoricos noſtros habemus, de Ioanne Patritio nobili Romano, quem B. Virgo in ſomnis, in qua re vellet ab eo facultatum hæres inſtitui, admonuit: vt in eo ſcilicet Colle, quem niue conſperſum videret, ſibi templum poneret: Quod idem eadem Virgo aperuit ſummo Pontifici Liberio, quem certe nec in eadem Domo, nec in eodem Cubiculo dormientem ſcimus; & ſomnium ipſa rei veritas comprobat, vt in illo comprobauit.

Et hoc nos Catholici, nempe de S. Domo, eiusque Tranſlatione habitas in ſomnis reuelationes veras eſſe affirmamus; Quandoquidem non obſcurè id conijcitur ex miraculo, cum ex illa viſione Parochus Terſactenſis, qui iam diù, grauiterque ęgrotauerat; ipſo reuelationis tempore ſanus effectus, priſtinis receptis viribus, eodem mane ad id peruiſendum, quod in ſomnis acceperat, acceſſit. Et cum legati à Comite Frangipanio è Dalmatia in Galilæam, & rurſus à Piceno in Dalmatiam pariter, Galilæamque, ac tertio à Clemente VII. ſedula inquiſi-

tione testati sint, ibidem apparere fundamenta, quæ ad amussim translatæ Domus mensuram referebant, & factum cum reuelationibus consentire; Nullum est certius signum, quo reuelationes diuinæ à Dæmonum deceptionibus, & Phantasmatum illusionibus distinguantur, quàm puritas, & integritas veritatis rerum, quæ reuelantur, secundum illud Chrysostomi; *Prophetant in spiritu Diaboli, quales sunt diuinatores; sed sic discernitur, quia interdum Diabolus falsum dicit: Spiritus Sanctus nunquam.*

Sup. Matt

Itaque hæc huius nostri Clypei erit inscriptio, Reuelationes de hac S. Domo in somnis habitas, dum consequente miraculo factum vidimus, quod in somnis ostendebatur: & miraculum etiam aliunde constitit; non esse, vt somniatur Aduersarius, somnia, sed veras reuelationes.



SA-

SAGITTA XIX.

Inuerisimile esse Marchia Prouinciam sexdecim Viros ad explorandam Translationis veritatem in Dalmatiam, & inde in Syriam misisse ob sola Eremitæ verba.

CLYPEVS.



IN occipitio oculos gerit Aduersarius; nam quæ nostri non vident, licèt sint oculati, ipse vnus videt, considerat que, inuerisimile esse Marchiæ Prouinciam sexdecim Viros misisse Nazarethum ob sola Eremitæ verba: hoc est ob vnius pannosi, & inter feras degentis sermonem, talem Prouinciam, vt est Picenum, habito senatu, concordi animo, sexdecim lectos Viros in tam longinquas regiones misisse, veritatem exploraturos.

Verùm, si sciret Aduersarius, hinc opera Dei optime dignosci, quando, nulla intercedente humana eloquentia, nulla opum potentia, effici videntur, quæ minus fieri ab homine credimus; non isthæc tam vana, ac futilia obij-

ceret. Ad Verbi Dei veniamus exempla, quibus, si potest, refragetur.

Ion. c. 3. Iussit Deus, Ionam Prophetam adire Niniuen, ibique pænitentiam enunciare, ne Sodomitarum instar subuerteretur. Erat Niniue, sacrarum literarum testimonio, Ciuitas magna itinere dierum trium, in qua cum Rege, qui Prouinciam administrabat, ingens habitabat Populus. Vrbem ingressus Propheta, clamare cæpit: *Adhùc quadraginta dies, & Niniue subuertetur: *Et crediderunt Viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium (Verba sunt ex ipso Dei Verbo excerpta) & vestiti sunt saccis à maiori vsque ad minorem: & peruenit verbum ad Regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. *Proh Deus! Quænam ista tam subita conuersio, quæ animorum mutatio? Ad vnius homunculi, aliunde eòdem profecti, verbum Ciuitas magna commouetur, nec ipsa tantùm Ciuitas; sed Rex de sede sua consurgens, vestem deponit, fastum aspernatur, cinere conspergitur, cilicium induit, ieiunium amplectitur, reliquis indicit incolis, vel innoxijs pueris, ac infantibus, ipsis iumentis, pecoribusque pænitentiam. Numquid ex homine splendor

ali-

aliquis effulsit? Num pænitentiæ enunciationem aliquod signum, miraculumue præcessit, aut subsequutum est, quo ipsæ commotæ turbæ, Princepsque tam cito se ad Deum conuerterent? Nullum horum consecutum scimus; sed tantùm homuncionem illum Vrbem ingressum itinere vnius diei, ad melioris vitæ frugem reductionem enunciasse, Vrbis subuersione præsagita: Quæ tamen cum Prophetæ verba non fuerit consecuta (miseratione enim commotus Deus Optimus Maximus Vrbi pepercit) haud sane eos vnius ignoti hominis verbis fidem præstitisse, seque ad meliorem frugem reduxisse pænituit; sed viro crediderunt vera fatenti. Et hunc tam subitæ mutationis actum, nisi interior præcessisset in Niniuitis patratorum criminum consideratio, quæ à Deo quidem venire debet, numquam certe vnius hominis verba tantam potuissent Vrbem commouere, vt, depositis, quæ concupiscentiam nostram alliciunt, illecebris, se pænis, carnisque maceratione afflictarent.

In illis ergo diuina interius præcessit commotio: Et in Picenis quoque credendum, hanc contigisse, cum ob sola Eremitæ verba (quando etiam aliud non præcessisset) sexdecim Viros in Palæstinam ad veritatem facti inuestigandam

dam præmisere. Idem enim Deus hodie, qui tunc sub Populo Hebræo: quique potuit vnius Ionæ prædicatione ingenti persuadere Prouinciæ pœnitentiam, idem potuit Picenum noui miraculi fama, & Eremitæ verbis excitare, ad allegandos homines, ad cultu m Virgineæ Domui debitum præstandum.

Daniel. cap 13. Prçterea quid de Daniele dicendum in Susannæ iudicio: quæ cum Seniorum, penes quos tunc erat temporarium ius inter Hebræos, testimonio, ad necem tamquam adultera detruderetur; ipso iuniore exclamante; " Mundus ego sum à sanguine huius:" Totius Populi ad eumdem est facta conuersio: & (Deo animos impellente, vt Matronæ castissimæ innocentia pateſceret) quæ in ipsa via erat, qua educebatur ad mortem, ex eadem reducta est ad sententiam iterum dignoscendam, num vera, an falsa in insontem lata esset.

Quibus ergo stimulis tantus illicò Populus fuit adactus iunioris Danielis exclamatione ad iudicium repetendum; iisdem dicas, Picenos Populos ob sola Eremitæ verba (diuino instinctu) accensos ad sexdecim Viros allegandos in Dalmatiam, ac Syriam ad facti veritatem assequendam.

Dicas quæso, quid tibi videtur de Petro Gallo Ere-

Eremita, cuius relatu, vt ait Guillelmus Tyri Archiepiscopus, pro recuperatione Vrbis Hierosolymitanæ, sanctorumque Locorum asseruatione, generale fuit bellum indictum, totusque penè Europeus Orbis ad arma venit. Li.1.n.9.
Non enim in vnius hominis verbis res est, sed in ipsa animorum commotione, quæ non nisi à Deo fieri potest, summa excitationis consistit. Quod enim ipse Petrus Anachoreta verbis referebat: in audientium disponebat animis ipse Dominus.

Ergo quid mirum, si ob sola Eremitæ verba, quando non alia præcessissent, Piceni sexdecim viros allegarent; quando animorum commotio per Deum fit, qui vel Eremitæ, vel Principi, siue Homini, siue Asinæ verba suppeditat, motusque.

Quod verò alia præcessissent signa, hinc perpende, quòd legatio non nisi secundo anno à prima S. Domus in Italiam Translatione contigerit. Quo tempore secutæ fuerant aliæ duæ Translationes, à Silua ad Collem, & à Colle ad Viam publicam: quò pariter ex Dalmatia multi appulerant, asserentes, quæ nouerant de eadem S. Domo, à se in Regione sua per aliquod tempus visa, & cultu celebrata: multaque ibidem patrata signa, & præter naturam

ad-

admiranda, ſpectantium non tam oculos, quàm animos ad rei veritatem optimè intelligendam potuerunt impellere: Cumque in loco, vbi numquam antea viſa, Domus abſque fundamentis conſiſteret: quidam ex illa ſanctimoniæ nitor eluceſceret: Energumeni eòdem non poſſent intropelli: ingreſſi clamoribus, ac ſtridoribus locum complerent omnia: infirmi, ac debiles ibi vires reciperent: & alia miranda contuerentur; hæc omnia ipſum Orbem, nedum Prouinciam coegiſſent ad legationem faciendam, vt veritatem aſſequerentur.

Tibi, quæſo, ſinas à veritate perſuaderi; alioquin te belluis efferatiorem reddes, quæ aliquando, vel rationis expertes, diſcunt manſueſcere.



SA-

SAGITTA XX.

Domunculam hanc esse Domum paternam Beatissimæ Virginis refelli conditione Sancti Ioachimi æque diuitis, ac nobilis.

CLYPEVS.



ERGE tam fortes argumentorum Sagittas, in nos iacturus, apparare; nam te sibi Aquilam Iuppiter deliget. Domunculam hanc (inquis) esse Domum paternam Beatissimę Virginis, refelli conditione sancti Ioachimi æquè diuitis, ac nobilis. Genitricis Dei Patrem insignem fuisse in illa exacta secundum legem viuendi ratione, & nobilem propter summam virtutem, testatur Gregorius Nyssenus. Quòd verò diues fuerit, non nisi apud Hieronymum in quodam tractatu legitur, quem licèt nonnulli tanto Doctori tribuant, veritate tamen expensa, iniurium videtur eruditionibus, maximo Ecclesiæ Doctori adscribere; quamuis enim in eo vera complura

Orat. in Nat. Domini.

In tract. de Natali Virg.

legantur; tamen quòd ibidem multa, cum veritate temporum pugnantia, dignoſcuntur, animum ſuum ad illa numquam intendiſſe Hieronymum, tam ſacrarum, quàm profanarum peritum hiſtoriarum, credibile eſt.

Vtcumque ſit, Diuitem dicamus; ſed illius loci, quem idem Hieronymus Viculum vocat. Non enim negabis, etiam diuites eſſe in Villis, Pagis, & Oppidulis, quos, ſi conferas cum Vrbium diuitibus, maiorumque Vrbium, irritam dices collationem, inanemque; ſunt enim diuites præ ſuis Municipalibus, Oppidanisque, ſed non cum diuitibus Ciuibus comparandi.

Vbi ſup.

Addamus, ſecundum loci conſuetudinem in huiuſmodi ſuper montium cacumina conſtitutis Pagis, domos ſæpe vnum (vt veterum more dicamus) Cænaculum non excedere: & ibidem diuites Municipij illius cum liberis, ac vxore cohabitare. Quod enim in vili domo habitent, non erunt fortaſſe diuites?

Verumtamen diuitem maximum concedo: & facultatibus plurimis vndique vallatum pono. Nonne idem Hieronymus author eſt, ſubſtantiam ſuam Ioachimum trifariam diuiſiſſe: partem Templo, eiusque miniſterio: alteram peregrinis, & pauperibus: tertiam ſuæ familiæ vſi-

In detractatu de Nat. Virginis.

vſibus, ſibique reſeruaſſe?

Præterea, ſi Virgo, Ioachimi filia, ac patrimonij hæres, quibus olim Genitor diuitijs affluxiſſe dicitur, iiſdem ſub filij ſui partu abundaſſet, non in ſtabulo, ſpecuque, ſed pecuniarum vi locum ſibi ad commodius edendum Fætum comparaſſet: tum in Templo in eiuſdem filij Præſentatione non par turturum, aut duos pullos columbarum, ſed agnum, aliaque ingentia pro diuitiarum copia obtuliſſet.

Nec ſine ponderatione prætereundum eſt, Chriſtum, qui paupertatis decora, Mundo quidem incognita, venerat oſtenſurus, pauperem ſibi Matrem elegiſſe, & pauperes Cognatos.

Ex quibus minus refelli dices, ſi ſana es mente, Domunculam hanc paternam Beatiſſimæ Virginis fuiſſe Domum, in qua & Deum concepit, & genitum in adultam vſque educauit ætatem.



SAGITTA XXI.

Inuerisimile esse, Domunculam huius qualitatis inter multas Galilææ deuastationes magnificentioribus superstitisse ædificijs.

CLYPEVS.



IGNVS est obolo Aduersarius noster; semper enim in historiarum, rerumque notabilium notitia quàm maxime proficit. Quid autem, si nos hoc verisimile, & probabile esse demostrabimus ratione, exemplis, ac testimonijs?

Ratione quidem, quia in Vrbis depopulatione, in Oppidi deuastatione semper Militum furor ad Optimatum, ac ditiorum Ciuium concurrit Ædes, vbi eorum putatur expleri sitis pecuniarum, non autem ad pauperum Casas, ac Tuguria, vnde ne hilum quidem sibi censeat prouenire posse.

Exempla sunt, quæ in deuastatis bello Pagis, Villis, Oppidisque supersunt domunculæ præ-

præſertim cameratæ, quas cùm Militum rabies vndique fuerit perſcrutata, ſpoliatas non demolitur, ſed temporum iniuriæ demoliendas relinquit: quas tamen ad hæc vſque tempora ſupereſſe cernimus, non autem magnificentiora ædificia: quæ plerumque à furenti Milite, longa forſitan obſidione fruſtrato, diruuntur: & quorum extant alia pauciſſima Romę pręter Pantheon, Thermas, & Amphitheatrum. Et ſi quod aliud in ipſo Chriſtianæ Religionis flore à profanis in noſtros ſacros ritus conuerſum, à vetuſtate vindicatum, firmiori fuit ſuffultum ædificio. Romam accede, & Palatinas contemplare Ædes, num his quicquam magnificentius Orbis conſpexit? Et nunc illarum tantùm parietinæ cernuntur, & rudera: prope quas tamen aliquod fornicatum cubiculum integrum cernes. Quibus ego exemplis tibi caput obtunderem ſi libens audires.

Teſtimonia quoque habes ex edicto Alarici Gothorum Regis, qui quo anno expugnatam Romam ingreſſus eſt, edixit, ne quis in Baſilicis Sanctorum Petri, & Pauli quemquam offenderet: Cumque in Vrbis direptione in priuata Domo aliquot aurea vaſa, & argentea reperta fuiſſent, ante annos ſex, & octaginta à Conſtantino Magno eidem Baſilicæ dona-

nata, illa tangi prohibuit, immò ad ipsam Ecclesiam, vnde clam fuerant erepta, referenda curauit.

Lib. 2. cap. 7. Habes etiam ex Euagrio, Vuandalos quadraginta post annos nullum omninò damnum Basilicis Apostolorum Petri, & Pauli, & Lateranensi intulisse; in quibus tamen non ea tantùm erant, quæ sacris vsibus adhibebantur, sed alia quoque direptionis metu illò asportata.

Histor. lib. 5. Et quod magis est, Iouio authore: Selimus, ac Solimanus Mahometani Principes, adeò sancti Sepulcri in Caluaria apud Hierosolymas existentis memoriam venerati sunt, vt ad eius ornatum, & custodiam multa insumpserint: Et Teueth addit, Solimanum, Iudæa transeuntem, ibidem oblationes fecisse, orationes fudisse, simulque & vota.

Ex quibus patet, ipsos quoque Barbaros sæpius locis sanctioribus cultum præstitisse.

Quod si alia etiam testimonia ad hæc velis, & quidem circa Syriæ, ac Galilææ deuastationes, atque occupationes bonorum, ac domorum; Ecclesiæ extant edicta Constantini Magni,
Lib. 10. cap. 5. eiusque affinis Licinij, ab Eusebio relata, quibus habentur hæc ipsa verba: Istud etiam præter cætera nominatim Christianis decernimus, vt loca eorum, in quæ ipsis (nempe Christianis) in-

mo-


more positum est antea conuenire, Christianis absque argento, absque vlla repetitione prætij, quod in illis emendis collocauerant, siue omni mora, ac dubitatione restituant.* Et infra. * Ac quoniam ipsi Christiani non solùm ea loca, in quæ conuenire solent, sed alia etiam habuisse cognoscuntur, quæ non priuatim ad singulos, sed ad ius totius ipsorum Communitatis, idest Christianorum, spectabant; singulis, qui ea possident, mandes velim, vt omnia per legem, quam supra posuimus, absque vlla controuersia Christianis, idest Societati ipsorum, & Conuentui reddant.* Idemque Constantinus in litteris ad Anilinum, siue Anolinum Africæ Proconsulem, qui sub Diocletiano Fideles fuerat insectatus, eodem Eusebio referente hæc edicit:* Quare volumus, vt simul ac hasce litteras à nobis acceperis, si quæ ex his possessionibus, quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam in quibusque Ciuitatibus, aut locis alijs pertinent, etiam adhũc à Ciuibus, aut ab alijs quibusdam retineantur, eas quàm primum ijsdem Ecclesijs facias restitui*. Et infra:* Enitere, atque elabora, vt siue Horti, siue Ædes, siue aliud quodcumque aliquando ad ius ipsarum Ecclesiarum spectauerit, omnia illis quàm celerrimè reddantur.* Ex quibus patet, licet loca aliqua ab

Eth-

Ethnicis, persecutionum tempore fuissent Christianis occupata, eisdem tamen, reddita Ecclesiæ pace, fuisse restituta.

Quibus hoc vnum adijcimus, Romæ adhùc videri Scalas ligneas, sub quibus Romanus Alexius in paterna domo per decem, & septem annos delituit: Ædium verò illius, ex conditione nobilitatis magnificarum, neque rudera, neque fundamenta conspici.

Ergo quid est inuerisimile, vt ad caput reuertamur, Domunculam huius qualitatis inter multas Galilææ deuastationes magnificentioribus ædificijs superstitisse? Si miraculum addas, non est, de quo dubites.



SA-

SAGITTA XXII.

Camini intra parietem existentis formam, cuius Vitruuius, vel alius eius temporis Scriptor non meminit, conuincere, hanc non esse Beatissimæ Virginis Domum.

CLYPEVS.



X oppugnationibus anteactis optimum te Historicum, Dialecticum, Philosophumue admiratus sum, vt ex iam dictis cuique legenti patuit; sed modò te Architectum valde peritum gaudeo: & si nostra hæc Prouincia huiusmodi indigeret, ad Vitruuianas iterum formas excitandas, vt vnus eligereris, vel ipse author essem.

Ergo quòd Camini, intra parietem sacræ Domus existentis, forma non ea est, cuius Vitruuius, vel alius eius temporis Scriptor meminit, Domum hanc minus esse Beatissimæ Virginis concludis, nonne? Optima quippe conclusio. Camini formam in mea Domo adinuenio: al-

terum facio, cuius nullus vel veterum, vel recentiorum meminit: Ergo domus mea non est. Si hæc tibi illatio opportuna videtur, quæ veritatem ipsam redarguat, tu ipse Iudex esto. Breuitatem hoc in loco sequar; nam ridicula est obiectio tantùm quam cuiusque prudentis viri multus consequi risus possit. Doctiores enim illico, irridendam aduersantis audaciam detestantes, sequentia peroptabunt.

Primùm præmitto, te vel non bene in S. Domo Caminum contemplatum, vel pessime edoctum, quàm longe à veritate aberrasse; quando, quæ Camini forma in sacra Domo introspicitur, non Caminus antiquus, sed concauitas est, recens in nouo pariete constructa, & ad eam formam redacta; quòd ibi pauperis foci prope murum accensi iam signa apparerent: & quæ superior est pars, sic fuit aptata, vt Beatissimæ Virginis simulachrum exhiberet, venerandum: Proindeque ignoranter infers ex noua Camini forma, Virginis eam Domum non esse.

Concedamus tamen, te vera illum Caminum esse, cuius formæ neque Vitruuius, neque alius eius temporis Scriptor meminit: certum est adhùc, illationem nullo modo posse consistere; nam quot Vrbes, quin immo quot Oppida, Pagi, Villæque, tot sunt cuilibet sui mores, modi-

dique in viuendi ratione, domosque construendi. Apud Sinas diuersus à Japponijs: diuersus apud Scythas à Persis: diuersus apud Afros à Nomadibus: sic apud Hebræos diuersus à Romanis, ac nostrate ritu. Vnde neque ad Vitruuium, aliosue Scriptores, quos ipse affers, nobis quidem incognitos, qui de hac materia præter ipsum egerint, pertinebat, quarumcumque Domorum, Casarumue in quibuslibet Orbis terræ angulis extructarum formam adamussim conscriptam nobis relinquere.

Deinde ex te sciscitor, num in amplissimis, quibus non caruit antiquitas, Ædibus, qui inferius, qui medianum, & qui superius incolebant Cænaculum, peculiares, ac proprios haberent Caminos. Si dicas, non habuisse. Ergo absque Camino sibi epulas parabant: &, cum frigus esset, inter fumum, fumique rabiem frigidas transigebant horas. Si dicas, quodlibet Cænaculum sua habuisse pro fumo spiramenta, certe vt vicinis non esset domibus incommodo proxima fumi effusio, mecum eris attestans, intra parietes illa fuisse constructa. Eademque spiramenta fuisse ad domus culmen producta, indicat illud Virgilij:

Et iã summa procul Villarũ culmina fumant:

Probatque Lex quidam Hyberus. Vbi Iurisc. ff. de seruit Vrb. præd.

consultus, tamquam de re iam vsu recepta, disponit his verbis: * non licet tubulos habere admotos ad parietem communem: De tubulis hoc ius est, quòd per eos flamma torretur paries: * Vbi ponderandum est, quòd, etiam intelligendo hunc Textum de tubulis, olim in parietibus fieri solitis, per quos calor ignis ex fornace ascendens, cubicula calefaceret, vt nunc apud Teutones, & alios Borealem tenentes regionem, mos est; absque aliquo infumibulo admittendi illi non sunt, cum vel in ipsis hypocaustis simile cernatur.

In Vita Vitellij. Idemque Camini vsus confirmatur ex Suetonio. * Cum Vitellius (inquit) acclamatus esset Imperator, ac de more circumferretur, non ante in Prætorium redijt, quàm flagrante Triclinio ex conceptu Camini. *

Huiusmodi verò formæ non meminerunt Vitruuius, alijue eius temporis Scriptores, forsitan de re plus quàm notissima, ad alia minus nota pertransierunt. Nec meminerunt quidem de Heliocamino ad Cubicula Solis reflexu calefacienda: de quo tamen extat dispositio, tamquam de re multo ante solita. In l. si arborem ff. de seruit. Vrban. præd.

In Xenijs. Nec vsus lignorum, de quibus apud Martialem: & ligna acapna vocitantur, quæ arida fumum non emittebant; rationem caminorum

rum refellit; alioquin non dixisset Horat.

Nisi nos vicina Treuisi
Villa recepisset, lachrimoso non sine fumo, Lib. 1. Sat. 5.
Vdos cum folij, ramos vrente camino.

Minusue rationem Caminorum refellit vsus foci circularis; quando eum derisit Alexander: qui, vt refertur in Apophthegmatis à Plutarcho, inuitatus ad cænam, repertoque foco circulari, iussit, aut ignem, aut incensum deferri. Quo innuit, ad vsum potius sacrificij, quàm calefactionis, siue ad aliud quid simile pertinere.

Atquì, responsione hac, quam breuem peroptabam, & longam vidimus, prætermissa, id, quod initio diximus, iteramus: Camini formam in sacra Domo Virginis existentem, non Caminum antiquum, sed concauitatem esse ad iam dicta exhibenda. Cuius rei vt certior per te fias, Veni, & Vide.



SA-

SAGITTA XXIII.

Consecrationem Apostolicam huius Sanctæ Domus in Ecclesiam refelli non vsu tunc temporis Ecclesiarum, & præteritione Sancti Lucæ Scriptoris Actorum Apostolicorum.

CLYPEVS.



VA fronte Ecclesiarum vsum sub Apostolorum tempore denegas, qui Apostoli Pauli testificatione certissima conuinceris, aientis:* Primùm quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio, scissuras esse inter vos, &c. Illud:* Conuenientibus vobis in Ecclesiam:* Quo pacto intelligis? Num in omnem Domum Fideles conueniebant? Omnis ergo Domus erat Ecclesia. Aut in aliquem peculiarem locum, huic tantùm rei, & non alteri destinatum, illos conuenisse tibi fatendum est: aut ipsum Dei Verbum te non intelligere, asseuerandum.

1. ad Corint. 2.

Lib. 10. Recogn.

Insuper Sanctus Clemens testatur, Beato Pe-

Petro Anthiochiæ exiſtente, domum Theophili in Eccleſiam fuiſſe conuerſam, in eaque primam Cathedram conſtitutam. Vnde S. Ignatius Martyr, qui ſub Apoſtolorum temporibus illam rexit Eccleſiam, ad Magneſianos ſcribens, ait: *Omnes ad adorandum in idem loci conuenite: ſit vna communis precatio, vna mens, vna ſpes, in charitate, & fide inculpata, in Chriſtum Ieſum, quo nihil præſtantius eſt: omnes velut vnuſquiſque ad Templum Dei concurrite, veluti ad vnum Altare, ad vnum Ieſum Chriſtum Sacerdotem.* Epiſt. 6.

Et Philo, qui ſub eadem coæuus ætate floruit, poſt quam Chriſtianorum Alexandriæ degentium, quænam eſſent domicilia, quæ nam vita, deſcripſit, de Eccleſijs in varijs locis extructis, ſic loquitur: *Eſt in quoquo agro fere Ædes ſacra, quæ appellatur Semnion, ideſt auguſtum Templum, vel Monaſterium: in quo illi ab alijs ſeparati, ſeiunctique vitæ piæ, & propter virtutem anguſtæ Myſteria obeant.* Quæ S. Marcus Apoſtolorum Diſcipulus in eo loco fieri minime permiſiſſet, niſi in Iudæa ab Apoſtolis permiſſa vidiſſet. Vt eſt apud Euſebiū hiſtor. Eccleſ. lib. 2 ca. 16.

Si autem primi Fideles in Domo Theophili, quinimmo in vno quoque agro conſtituerunt Ædes ſacras ad Myſteria, & ad Miſſas,

quis

quis dubitabit, ea loca potissimum in Ecclesias ab eisdem conuersa, quæ Christi præsentia fuerant quodammodo consecrata.

Et, si vel ipsi Idololatræ, cum locum non haberent, quò ad Idola veneranda accederent, ad partem agri, alicui dicatam Numini, à reliquo sciunctam, frequentes itabant, ibique Ecclesias celebrabant suas; Nostros fideles in ipsis crescentis Ecclesiæ primordijs huiusmodi commodo caruisse putas, vt non possent ad suæ Religionis loca concurrere, nisi ad Hebræorum Synagogas, (de quibus iam publico fuerant à Pontificibus Decreto eiecti) accessissent?

In Ps. 114. De antiquissimo autem Sacras Ædes consecrandi, dicandique vsu, præter id, quod scripsere SS. Basilius, Gregorius Nazianzenus, Io. Chrisostomus, & Ambrosius, meminit Eusebius, qui, eas purgatione, & aspersione per aquam, & Spiritum Sanctum consueuisse dicari, affirmat.

Orat. in 9. Dom. Serm. in Encænijs Ep. 5. l. 1. Lib. 10. cap. 4.

Quòd verò consecrationem huius S. Domus in Ecclesiam Aduersator refelli dicat præteritione S. Lucæ Scriptoris Actorum Apostolicorum. non ita diceret, si ad ea aduertisset, quæ scribit Augustinus: nempe non omnia Apostolorum gesta ibi exarata, sed quæ peculiari-

Trac. 49. in Ioan.

riter visa sunt saluti credentium sufficere: neque isthæc refelleret, si perpendisset, quæ S. Io. Chrysostomus ait: librum, scilicet, S. Lucæ, cui est titulus, Acta Apostolorum, nec omnia, nec omnium acta continere, sed vnius dumtaxat, aut duorum, eorumue etiam solummodo magis conspicua; & ponderasset, quod idem S. Lucas nec Pauli quidem, cuius potissimum actus prosequi voluisse videtur, refert triplex naufragium, quod ipsemet Paulus se passum fuisse narrat, inquiens:* Ter naufragium feci: nocte, & die in profundo Maris fui.* Quibus accedit, quod S. Hieronymus obseruat, eumdem Euangelistam multa, & magni momenti, à SS. Petro, & Paulo edita, prætermisisse.

Tom. 1. contra Gentes.

Ep. 2 ad Corint. cap. 11.

Ep ad Galat. ca. 2.

Vnde ergo tibi, Consecrationem Apostolicam huius S. Domus in Ecclesiam refelli non vsu tunc temporis Ecclesiarum, & preteritione S. Lucæ Scriptoris Actorum Apostolicorum? Contrarium certe, nempe Domum, in qua Virgo Verbum Dei conceperat, fuisse conuersam in Ecclesiam, ad quam Fideles conuenire possent, & sacra peragere, vel Puer paruulus, qui animo cogitata nescit euoluere, fateretur.

SAGITTA XXIV.

Diuina Officia, adhùc in Ecclesijs minime instituta, non potuisse ab Apostolis in hac S. Domo recitari.

CLYPEVS.



X vno multa facit Aduersarius: Lucianus quippe Caupo, qui varias ciborum species, ex eodem suo confectas, apparat. Paullò ante dixit: Consecrationem Apostolicam refelli non vsu tunc temporis Ecclesiarum: Nunc ait, Diuina Officia, adhùc in Ecclesijs minime instituta, non potuisse ibi ab Apostolis recitari.

Diuina te Officia credimus intelligere, Psalmodiam in Dei obsequium Ecclesiasticis viris præscriptam: & hanc apud Hebræos recognosce, qui cunctis diebus in Salomonis Templo diuinas laudes psalmis contentas concinebant: necnon apud ipsósmet Apostolos, de quibus in Actis Apostolicis habemus: * Ascendit Petrus in su-

Cap. 10.

ſuperiora, vt oraret circa horam ſextam :* Et ſupra: Petrum, & Ioannem in templum ſolitos aſcendere ad horam orationis nonam: & alibi: *Media autem nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Dominum*. Cap. 3. Cap. 6.

Quod autem Paulus non ipſe ſolus hoc Diuinorum Officiorum inſtitutum frequentaret, ſed ad idem alios quoque adhortaretur, audi ex eodem*: Verbum Chriſti (inquit) habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, docentes, & commonentes vos metipſos pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus.* Ad Coloſ.

Idemque Diuinorum Officiorum inſtitutum fuiſſe re ipſa à primis fidelibus frequentatum, teſtatur Philo Hebræus (ſub Apoſtolorum tempore vixit) qui de Eſſenis loquens, quos Chriſtianos omnes interpretes intelligunt ait:* Vbi omnes conſurrexere, duo Chori fiunt in medio Cænaculo, alter virorum, alter fæminarum: cuique ſuus incentor præficitur, honore præſtans, & canendi peritia: deinde cantant hymnos, in Dei laudem compoſitos varijs metrorum, carminumque generibus, nunc vno ore, nunc alternis, non ſine decoris, ac religioſis geſtibus, & accentibus, modò prorſum, retrorſumque gradum mouentes, vtcumque res poſtulat.* Et infra, eadem fieri narrat Alexan- Hiſt. Eccleſ. lib. 2 cap. 17.

driæ, quam Marcus Euangelista diuino Verbo ad salutem erudierat.

Et vt hoc ab ipso B. Petro constitutum scias, Plinium Iuniorem lege vel inuitus; (non enim ignoramus, à vobis eiusdem Epistolam, qua maxime coarguimini, expunctam, atque ex reliquarum numero deletam, cuius cum mentio fiat à Tertulliano, antiquissimo teste, supposititia sane censenda non est) lege inquam

Lib. 10. Ep. 97. Plinium, qui ad Traianum scribens ex Bithynia, quam ipse Proconsularem Prouinciam administrabat, Christianos asserit, solitos statuto die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum inuicem. Bithynis autem Petrum Apostolum Euangelium enunciasse, certissimum est.

Neque tantùm in Orientalibus Ecclesijs, sed hic etiam Romę Diuina Officia eodem tempore recitari solita, vel ab ipso Luciano Idololatra, Christianosque ritus deridente, qui sub Traiano vixit, asseritur.

Eamdemque Psalmodiam, & quidem cum hymnis, & canticis, non aliunde, quàm ab ipso Domino, & Apostolis acceptam, affirmat

Ep. 117. cap. 18. Augustinus, dum illa, quæ ex diuina Scriptura defendi possunt, ait, esse Hymnorum, atque Psalmorum cantum: de quo ipsius Domini,

ni,

ni, & Apoſtolorum habemus documenta, exempla, & præcepta.

Inſtitutionis rationem reddit Chryſoſtomus: * Ne Dæmones, inquit, laſciuia meretricia cantica introducentes, omnia euerterent, Pſalmos Deus conſtruxit, vt ex ea re ſimul caperetur voluptas, & vtilitas *. Cui congruunt, quæ habet Baſilius: * Quando (inquit) Spiritus Sanctus nos vidit, ægre perſuaderi ad complexum virtutis, ac proinde ad ineundam vitæ rectitudinem, per hoc lenteſcere, quod toti ad conſectandam voluptatem protenderemus, quid fecit? Nimirum Scripturæ dogmatis mixtim diſperſit concinnam iſtam numerorum modulationem, vt auribus permulſis, ac delinitis, mellito vocum concentu clam, velut aliud agentes, ſineremus in animos noſtros irrepere eloquiorum vtilitatem *. Quod ipſum D. Auguſtinus ſe expertum in animo ſuo fatetur his verbis. * Quantum fleui in Hymnis, & Canticis ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter? voces illæ influebant in auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. *

Hom. ſuper 4. Pſ.


Hom. ſuper 1. Pſ.

Lib. 9. confeſſ.

Quinimmo Pſalmorum cantus adeo frequens

quens priſcis Fidelibus fuit, vt eo etiam in conuiuijs, & ruri creberrimè vterentur. Hinc
Ad Donatum. S. Cyprianus inquit*: Sonet Pſalmos conuiuium ſobrium:* Et S. Hieronymus:* In Chriſti, inquit,
Ep. 17. ad Marcellã. villula præter Pſalmos ſilentium eſt: quouſque te vertis, arator ſtiuam tenens Alleluia decantat: ſudans Meſſor Pſalmis ſe auocat: & curua attondens vitem falce vinctor, aliquid Dauidicum canit: hæc ſunt in Prouincia noſtra carmina: hæ, vt vulgo dicitur, amatoriæ cantiones: hic Paſtorum ſibilus: hæc arma culturæ.*

Vnde igitur, Diuina officia non fuiſſe Apoſtolorum tempore inſtituta, argumentaris? Ex iam dictis patebit, ſi velis credere, vel in ipſa Sacra Domo (quod coniectandum eſt facile) ab iiſdem oratum, Hymnoſque cum Pſalmis cantatos fuiſſe.



SAGITTA XXV.

Gratis asseri, Apostolos hic posuisse Imaginem Beatissimæ Virginis, contra Exodi prohibitionem.

CLYPEVS.



VOD nos gratis asserere dicitis, vos gratis negatis; tamen qui solus sapit, is est, qui non suam tantùm, sed aliorum quoque tenet sententiam. Quanam ratione dicitis, esse contra Exodi prohibitionem Imaginis appositionem, si Deus ipse Imaginum est Author, vt ponderauit Concilium Nicenum sub Irene Leonis Imperatoris IV. Coniuge, trecentorum quadraginta Episcoporum concursu celebratum? In quo, cum actum esset de tollendis ab Ecclesia, vel retinendis Imaginibus, ab omnibus retinendas conclusum est, multis adductis exemplis, ac testimonijs, eoque præcipuè, quod iudicarunt fortissimum, Deum primum fuisse authorem Imaginum, qui primùm sui Imaginem depinxit in homine.

Eas

Easdem Imagines ab ipso Redemptore nostro diuino quippe facto comprobatas nouimus, dum vultus sui ad necem ducti Imaginem, in velo, sibi ad sudorem extergendum à muliere (quam prisci dixere Veronicam) oblato, reliquit expressam: quæ nunc Romæ à cunctis Fidelibus religiosè exhibita in Vaticana Basilica colitur; Non enim Christus suam ad nos transmisisset, si in nouo Testamento Imagines fuissent interdicendæ.

Neque tantùm, ad mortem cum duceretur, idem noster Redemptor hoc fecit, sed viuus adhùc; vt S. Damascenus testatur his verbis:* Historiæ quoque proditum est, cum Abagarus Edessæ Rex eò nomine Pictorem misisset, vt Domini Imaginem exprimeret, neque id Pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuisset, Dominum ipsum diuinæ suæ, ac viuificæ faciei pallium admouisse, Imaginemque suam ei impressisse, sicque illud ad Abagarum, vt ipsius cupiditati satisfaceret, misisse. Quam quidem historiam fide dignissimam agnoscit Adrianus Papa, asseritque illam examini subiectam, tamquam veram à Stephano summo Pontifice in Concilio Romano receptam.

Lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 17.

Ep. ad Carolum Magnum 3. tom. Cóc. relata.

Et Concilium Antiochenum Apostolorum nun-

nuncupatum, imaginum vſum expreſſe approbauit, ſtatuens in hæc verba: * Ne decipiantur ſaluati ob Idòla, ſed pingant ex oppoſito diuinam, humanamque manufactam, impermixtam effigiem Dei veri, & Saluatoris Domini noſtri IESV Chriſti, ipſiusque ſeruorum contra Idòla, ac Iudæos: neque errent in Idòlis, nec ſimiles ſint Iudæis: * Quem canonem etiam Gregorius Epiſcopus Peſſinuntis citat, laudatque. In Conc. Niceno 2

Rationem, propter quam imagines conceſſæ, permiſſæque ſunt, reddit Gregorius Magnus dicens: * Scio quidem, quòd imaginem Saluatoris non ideo petis, vt pro Deo, aut quaſi Deum colas; ſed pro recordatione filij Dei, & vt in eius amore recaleſcas, cuius imaginem videre deſideras. In Epiſt. 53 ad Secundinũ.

Cui aliam addit rationem idem Gregorius: * Idcirco (inquiens) pictura in Eccleſijs adhibetur, vt ij, qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quod legere in codicibus non valent. Epiſt. 3. lib. 7.

Ad id verò, quod dicitur de Exodi præceptó, reſpondet S. Stephanus Confeſſor in ſuo contra Conſtantinum Copronymum Imperatorem congreſſu, vbi ait: * Quòd ſi mihi dictum illud Moyſis in medium protuleris: Non facies tibi

similitudinem vllius rei &c. hunc tibi Moysem ostendo, duorum Cherubim effigiem auro efficientem: Quibus de rebus ad hunc quoque modum diuinus Apostolus disseruit: & Cherubin obumbrantia Propitiatorium: Quin ipsum quoque Propitiatorium, & Tabernaculum testimonij, & Sancta Sanctorum, an non cælestium figuram exprimebant? Quemadmodum idem Apostolus rursus ait: vmbræ cælestium
In Triph. deseruimus.* Cum quo consentit Iustinus, vbi argumentatur, quòd Deus male sibi constans
Exod. 25. prohibuisset fieri imagines, qui duos Cherubin statuit in Propitiatorio, & Serpentis fa-
Num. 21. bricam præcepit.

Atquì, vos sacrarum Imaginum obtrectatores, cur Martini Lutheri Hæresiarchæ colitis imaginem, quam Lindanus Ruremundensis Episcopus, magnæ quidem vir authoritatis, ac doctrinæ, vidit titulo D. Martini prænotatam? Cur Melancthonis, Bezæ, Caluini, & aliorum Apostatarum ambitiose circumfertis? Quippe nos Dei, Virginis, Sanctorumque virorum Imagines veneramur: vos spurcorum, scelestorumque. Sed hinc vniuersus Orbis agnoscet, hæc omnia Christianæ pietatis odio à vobis coaceruata, aduersus nos gratìs, & temere effutita.

SA-

SAGITTA XXVI.

Crucem, adorari adhuc minime captam, non potuisse in sacra Domo ab Apostolis collocari.

CLYPEVS.



LEMAS habet Aduersarius noster, ex quibus facile ipsius lippiunt oculi. Crucem, quæ in Sacra Domo omnium oculis exposita conspicitur, cum eadem è Syria ad Italiam transuectam fuisse, pro certo habetur; Traditione verò refertur, ibidem illam ab Apostolis in ipso consecrationis actu constitutam; quandò, si quis locus Dei cultui destinandus erat, Crucis titulo in Dei partes transisse demonstrabatur. Et hanc Traditionem appellamus, non Euangelium. Aduersarius autem contra, hoc minimè fieri potuisse, asserit, addita ratione, quòd minime cæpta esset adorari. Verùm mecum esto, quis tibi hæc? Ex Verbo quippe Dei nihil excerpitis: num ex Traditione, sed ex qua? &

Authorem laudato, vt tibi præstetur fides.

Contrarium certe nobis probatur; Si enim Apostolorum tempore non erat in more positum, vt Crux adoraretur, cur ab Apostolo Paulo fuerunt prædicata Crucis encomia? Cur tanta in Apostolo Andrea animi exultatio, cum ad necem ductus Crucem intuitus est, cui se sciebat affigendum? Ad quid Iacobus, & Marcus in eorum liturgijs Crucis signacula super Oblata fieri præcepissent?

Quibus accedunt grauissima Patrum testimonia, qui nos & ætate, & doctrina præcessere: ad quos certum est à maioribus deuenisse huiusmodi sensum. Quos inter D. Ignatius Apostolorum discipulus Crucis tropheum contra diaboli potentiam erectum, visibile eiusdem Crucis signum appellat, aitque: * Quod vbi viderit, horret, & audiens timet. * Ergo Cruces erigebantur, quas cum Dæmon videret, horrere dicitur.

Ep. 8. ad Philip.

Et Tertullianus, qui statim post Apostolorum tempora vixit, sub annum scilicet Christi 198. ita scribit: * Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumquè nos conuersatio exercet, frontem Crucis signa-

Li. de Corona Militis cap. 3.

cu-

culo terimus:* Subditque:* Harum, & aliarum huiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.*

Theodoretus quoque refert, inde primos Christianos plerumque detectos, quòd Crucis signo poculum signarent. Lib. 3. ca. 16.


Eamdemque Crucis venerationem ab Apostolis initium habuisse testatur D. Basilius; asserens, Apostolicam in Ecclesia Traditionem fuisse, vt Fideles tam in sacris, quàm in cæteris rebus, quibus benedicerent, Crucis signum exprimerent: eoque remedio tamquam saluberrimo ad pellendos Dæmones vterentur. Circa quod vltimum, si velis testem etiam Epicureum, & cuiusuis Numinis illusorem; Lucianus narrat, Eucratem, dignum plane virum, cui fides adhiberetur, cum anulum accepisset, ex ferro, vt ait, ex Cruce facto, aduersus prauos Dæmones redditum fuisse securum. Lucianum autem Traiani tempore extitisse quis nescit? De Spiritu Sancti cap. 1. In Philopseudo.

Viri autem superioris sæculi, non aspernandæ fidei, testimonium liceat hic afferre, scilicet Osorij Siluensis Episcopi apud Indos. Hic in litteris ad Summum Pontificem eo

tem-

tempore exaratis, hæc ſcribit: *Calaminæ (quæ hodie vulgo Malipur ſeu Ciuitas S. Thomæ) in qua vel ipſæ veteres hiſtorie D. Thomam Apoſtolum paſſum fuiſſe narrant, in ipſo primo Luſitanorum ad illas horas acceſſu, inter peruetuſtæ, ac demolitæ Vrbis rudera ſaxum ingens repertum fuit, Crucis ſigno inſculptum, ac quibuſdam indicis, perantiquis tamen litteris, hinc, & inde decoratum, ex quibus coniectum fuit, ab ipſo Apoſtolo Crucem illam erectam, apud quam, dum flexis genibus Deo preces funderet, transfixus haſta occubuerat.*

Quibus bene perpenſis eritne adhuc apud te incredibile, vt in ſacra Domo reperta Crux, fuerit ibi ab Apoſtolis collocata?



SA-

SAGITTA XXVII.

Nec quidem Campanulam potuisse ibi ab Apostolis poni tempore, quo nondum erat in vsu.

CLYPEVS.



N caducum parietem inclinat Aduersarius, dum Vulgi verba æque ac Euangelij censet. Quis vnquam vel insulsè dixit, Campanulam in hac S. Domo ab Apostolis collocatam? Non dixit Historicus, Campanulam ibi positam ab Apostolis, sed cum eadem Domo, siue è Syria ad Dalmatas, siue à Dalmatis ad Picenos traductam, ibidem repertam; quam quis appenderit, ignoramus.

Verùm esto ab aliquo, quem nescimus, dictitatum: haud certe ex eo damnanda est assertio, quòd non eius temporis vsus fuerit; Quamuis enim non desint, qui Campanarum vsum à Sabiniano Summo Pontifice inductum affirment: aut à Sanctissimo Viro Pauli-

no Nolæ Episcopo, qui eumdem Sabinianum ducentos circiter annos antecessit: præsertim cum sub vocabulo Nolæ ipsum æs concauum, & ad sonitum fusum, appelletur; Posito tamen, idem esse Nolam cum Tintinnabulo, à tin-
Lib. 11. Histor. cap. 20. nitu sic dicto, teste Plinio, qui:* Apes (inquit) gaudent tinnitu æris. *Idem Plinius describens
Lib. 36. cap. 12. Pyramides: * Pyramides, ait, ita fastigiatæ, vt in summo orbis æneus sit impositus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula: quæ sane non ea fuerunt, quæ de Catellorum collo dependere solent; eorum enim sonitus exauditus non esset, quando Pyramidum altitudo ea fuisse dicitur, vt vltra omnem excelsitatem, quæ manu fieri posset, extolleretur.

Eaque tintinnabula in sacris adhiberi consueuisse, constat non solùm ex facto Octauij
In eius vita. Augusti: qui, tintinnabulis Templorum ianuis dependi solitis, cum in Capitolio Ædem Ioui tonanti dedicasset, ex loco remotis, fastigium Ædis redimiuit, vt ijsdem auditis ad colendum Iouem Capitolinum Populus facilius accurreret; sed etiam ex atte-
In Dea Syria tom. 3 stati one Luciani, qui sic ait:* Sacerdos postquam ad summum Templi peruenit, preces pro vno quoque facit; precando autem pariter & æneum quoddam tintinnabulum pulsan-

ſando, quod motum pariter, atque aſpere ſonat.

Porrò Zonaras, inſignis hiſtoricus apud Græcos, narrat, tintinnabulum Currui triumphantium appendi ſolitum, vt ea re, qui triumphans aſcendebat, admoneretur, ne in eam ob ſcelera calamitatem incideret, vt capite damnaretur; conſueuerant enim veteres de ijs, qui ſupplicio deſtinabantur extremo, tintinnabula appendere, ne quis inter eumdum ex illorum contactu piaculo ſe obſtringeret.

Et Strabo, qui aliquot annis ante Chriſtum natum floruit, eumdem tintinnabulorum vſum Li. 14. de Geographia. atteſtatur ſub exemplo Citharædi, artem oſtentantis ſuam; inquiens, quod cum plurimi eum audirent, quamprimum tintinnabulum increpuit, vendendorum piſcium ſignum, illi, relicto Citharædo, ad piſces dilapſi ſunt præter vnum, qui ſurdaſter erat. Quo circa Citharædus propius ad illum accedens, ò homo (inquit) gratias tibi ingentes habeo tum propter Muſicæ ſtudium, tum propter honorem erga me præſtitum; nam cæteri, quàm primum tintinnabulum increpuit, omnes abierunt. Vnde Surdaſter. Quid ais? inquit: num iam tintinnabulum ſonuit? eoque affirmante: tibi bene ſit, inquit, & ſurgens ipſe quoque digreſſus eſt.


Neque est cur Aduersarius insistat in vocabuli denominatione; nam Campanæ quoque meminit Ioseph Historicus, qui describens tubam, ait: * Cuius os tantùm patebat, quantum ad inflandum sufficeret, desinebatque in extremitatem campanulæ similem*: Et D. Hieronymus eàdem est vsus voce, qui ait: * Nullam ex vobis dormientem reperiat campanilis sonitus: * Et infra: * Ad Ecclesiam Sorores Campanula vocet. * Prout etiam de Nola meminit Quintilianus, qui deridens garrulum, desidentem dies totos domi, & nugaci futilium verborum importunitate obstrepentem, cæterisqne fastidium exhibentem: * Nolam in cubiculo: * Sub Adagij forma, vocitat.

Cap. 33. reg. monialium.

Cap. 39.

In Orat. Instit. lib. 8. ca. vlt.

Ex quibus liquet, Tintinnabulorum vsum, vel ante Apostolos, ab illis nisi iussum, saltem admissum, etiam in hac S. Domo adhiberi potuisse.



SA-

SAGITTA XXVIII.

Lapides, & calcem Sanctæ Domus neutiquam debere pro sacris Reliquijs haberi.

CLYPEVS.



VM fundamenta labant, moles quoque superimposita corruat necesse est: Nam, vt inquit ille: ruunt sublatis alta columnis. Dum corrupta Fides est, quæ non adinueniet Aduersarius, vt in cæteris eamdem tollat? Sacras nunc Reliquias impugnans, te Vigilantio, cæterisque hæreseos monstris similem reddis. Verumtamen, quando Lapides (dicens) & calcem S. Domus neutiquam debere pro sacris Reliquijs haberi, aliquas, concedis, esse apud te sacras Reliquias adorandas, in quibus lapides, & alia huius S. Domus minus sint reponenda; ex te quæso, num pro Reliquijs haberes sudaria, ac semicinctia, quæ à corpore Pauli delata super languidos, cunctos adimebant languores: & quorum ta-

ctu spiritus nequam eijciebantur; vt in ipsis
Cap. 19. Apostolorum Actibus habetur.

Rursus ex te percontor, num, tanquam sacras Reliquias Sanctorum, agnosceres eorum
Serm. 93. ossa, ac cineres, de quibus S. Ambrosius ait:* Honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viuentis memoriam perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominus ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud Fideles, quod reuerentur & dæmones? quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro?*

Adhùc te interrogo: an tibi sacrarum Reliquiarum loco esset ipsemet apud sepulcra Sanctorum Martyrum puluis, de quo Hieronymus in Vigilantium:* Itaque nolo, mihi dicas, signa infidelium sunt; sed responde, quomodo in vilissimo puluere, & fauilla nescio qua tanta sit signorum, virtutumque præsentia? Sentio, Sentio infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas: spiritus iste immundus, qui hæc cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est puluere, immò hodieque torquetur, & qui

in


in te plagas diſſimulat, in cæteris confitetur.* Hactenus ille.

Demum quæro, inter ſacraſne Reliquias collocares Brandeum, aut quid ſimile poſitum ad Sanctorum corpora, ac leuatum: de quo Gregorius Magnus reſpondens Conſtantinæ Lib. 3. Epiſt. 30.
Auguſtæ, quæ Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli capita Conſtantinopolim transferri petierat, ſic inquit: *Romanis conſuetudo non eſt, quando ſanctorum Reliquias dant, vt quidquam tangere præſumant de corpore, ſed tantummodo in Pyxide Brandeum mittitur, atque ad ſanctiſſima corpora Sanctorum ponitur, quod leuatum in Eccleſia, quæ eſt dedicanda debita cum veneratione reconditur: & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac ſi illùc ſpecialiter eorum corpora deferantur.* Hæc Gregorius: Quibus etiam Sanctiſſimi Leonis Papæ factum ſubiungit admirandum; qui forficibus, linteum recidens, diuinitus elicuit ſanguinem, Gręcis incredulis rem ipſam vehementer obſtupeſcentibus.

Si hæc in ſacris Reliquijs haberes. Cur non Lapides, & calcem S. Domus? Cur non ſacratiſſimam Domum, non Pauli, neque Petri manibus attrectatam, ſed Virginis, paruulique IESV attactu ſacram? Si autem nullas ex

enu-

enumeratis inter ſacras Reliquias conſtitueres. iam à ſummo vſque deorſum vitium eſt in Domo (mentem tuam intelligas labantem) quam nullę trabes fulcire poterunt, etiam ex ęre fuſæ, firmiſſimarum videlicet rationum nixæ robore. Qui ſanæ eſt mentis, Arbiter habetur, & Iudex.



SA-

SAGITTA XXIX.

Mirum videri, Sanctam Domum constitui etiam ad dexteram Sanctissimi Sacramenti summæ apud nos venerationis.

CLYPEVS.



IGNVM scilicet obiectum Obelisco: quo tamquam plumbeo gladio nos iugulare contendit Aduersarius. Quis risum contineat? Mirum (inquit) videri, Sacram Domum constitui etiam ad dexteram Sanctissimi Sacramenti. Ergo de præcedentijs loquamur oportet, à quo velut absurdo abstinemus; siquidem quod obijcitur à veritate maximè alienum esse affirmamus; etenim cum in publica via Sacra Domus constitisset, post multa diuinitus edita signa, quibus rei veritatem Deus comprobauerat, Sedes Apostolica de Templo, quo illa esset includenda deliberauit: & vt in medio constitueretur Templo, actum bene censuit; quandoquidem si qua alia illius parte fuisset collocata, vel

vel turbam fecisset, tumultumque, vel multi, ne illam circumirent venerantes, prohibiti fuissent: cunctisque tantæ Domus miraculum minus patesceret. Vtque debita Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento præstaretur reuerentia, non in aduersa, quæ Templi valuas respicit, illud locarunt parte, sed à sinistra Templi tamquam loco publicæ venerationi magis opportuno. Quare S. Domus non ad dexteram Sacramenti collocata, sed Sanctissimum Sacramentum ad dexteram introeuntium in Basilicam, vt commodiori illius venerationi consuleretur, constitutum est.

Verùm, quoniam isthæc religio in nostrum incessit Aduersarium, vt male sitam credat Sanctissimam Eucharistiam à sinistris, vtcumque sit, perperàm hoc sciat reprehendi; Nam etsì Iustinus clarissimus Martyr* perinde (dicat) atque dextera manu in nomine Christi eos signamus, qui sigillo tali indigent, eò quòd præstare sinistræ putetur; quamuis positura, & non natura illa differat:* Et apud Ægyptios Magnus fuerit honor habitus, si ad dexteram quis collocaretur. quem etiam morem seruauere olim Romani, Afri, Numideque: & nunc quoque teneri cernimus.

Q. 148.

Tamen sinistram quoque dignationem esten-

ſtendere, declarant veteres quidam auctores; quos inter Xenophon refert, Cyrum ſingulari prudentia Viros adhibitos conuiuas, quò honoratius exciperentur, in ſiniſtra locare ſolitum: eamque partem digniorem duxiſſe, velut cordi affinem: ſiue quia illi magis fidere videretur, cui infirmiorem corporis partem, quaſi tuendam, committeret.

Herodotus, Romanos in publicis actionibus, præſertim in Exequijs Imperatorum, dediſſe ſiniſtram Senatui, dexteram Mulieribus, his verbis refert. Circa lectum verò vtrinque magnam partem diei ſedent: à læua quidem Senatus omnis, veſtibus atris amictus: à dextera verò Matronæ, quas Virorum, aut Parentum dignitas honeſtat: harumque nulla vel aurum geſtans, vel ornata monilibus conſpicitur; ſed veſtibus albis exilibus indutæ, mœrentium ſpeciem præbent. Lib. 4.

Et apud prælia committentes ſiniſtrum cornu maiori quidem, quàm dexterum in veneratione fuit. Vnde Thebani, cum ad Leuctram ſiniſtro cornu Lacedæmonios fugaſſent, omnibus prælijs obſeruarunt, vt ſiniſtro cornu Principatum darent. Apud Lacedæmonios milites ex Seyro inſula, cum ſiniſtrum ſibi locum delegiſſent in acie, ſemper obſeruarunt, vt ſiniPlut. Problema 78.

ſtrum cornu tenerent. Et apud Romanos Tullus Hoſtilius, aduerſus Fidenates pugnaturus, ſiniſtrum ſibi ſumpſit cornu, dexterum Metio dedit, teſte Liuio. Darius quoque ad Arbelam, cum ſibi ſiniſtrum tuendum ſuſciperet, Mazeo dexterum aſſignauit, teſte Q. Curtio.

Dec. 1. lib. 1.

Lib. 4.

Sed ne dicas, hæc eſſe exterorum exempla. Teſtimonium de hoc firmiſſimum habes in Concilio Chalcedonenſi: quod inſtitutum ab alijs tribus prioribus Concilijs Niceno, Conſtantinopolitano, & Epheſino accepiſſe, credibile eſt; In eo enim legati Sedis Apoſtolicæ, qui alioquin omnibus præferebantur, & primo ſolebant loco à nomenclatore recitari, ſederunt ad ſiniſtram ſupra Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, & Epiſcopum Antiochiæ: ad dexteram verò Dioſcorus Epiſcopus Alexandriæ cum alijs Epiſcopis. Concilij verba hæc ſunt. *In læua quidem parte ſedentibus Sanctiſſimis, & Reuerendiſſimis Epiſcopis, & Vicarijs Dei amiciſſimis Sanctiſſimi, ac Reuerendiſſimi Leonis Antiſtitis priſcæ Vrbis Romæ, & Anatolio religioſiſſimo Archiepiſcopo Antiochiæ, &c. Ex dextera verò ſimiliter conſedentibus Dioſcoro religioſiſſimo Epiſcopo Alexandrino, & Iuuenale religioſiſſimo Epiſcopo Hieroſolymorum*, &c.

Tom. 1. Conc.

Præ-

Præterea in Concilio Nicæno, sub Constantino Magno habito, quod multos annos Chalcedonense præcessit, id ipsum obseruatum inuenies; in eo enim tres Legati à latere Silueſtri Papæ cum Episcopo Alexandriæ, & alijs ſedebant ad ſiniſtram: ad dexteram verò Episcopus Antiochiæ, qui etiam erat Episcopo Alexandrino inferior.

Ac demum in vltimo Nicæno Concilio Sophronius Episcopus Hieroſolymitanus, deſcribens imaginem maximam, admirandamque, aſſerit, in ea Beatiſſimam Virginem fuiſſe à ſiniſtris Domini Noſtri, ac Sanctum Ioannem Baptiſtam à dextris. Ipſius verba hæc ſunt.* Ecce imaginem maximam, ac mirificam videmus, repræſentantem in medio quidem picturam Domini Noſtri IESV Chriſti, & Dominam noſtram Deiparam ſemper Virginem Mariam à ſiniſtris: à dextris Baptiſtam Saluatoris noſtri Præcurſorem.*

Non ergo ſiniſtra tanto eſt deſpectui, vt non etiam magis, quàm dextera pars obſeruata ſit & in Prophanis, & in Sacris.

SAGITTA XXX.

Ridiculum esse, quod dicitur, fuisse diuinitus defensam Sacram Domum, temporalibus armis etiam Ecclesiæ interdictis, munitam.

CLYPEVS.



SIQVIDEM ridicula sunt omnia nostra, vestra tantùm seria. Potest ne absurdius audiri: Sacram Domum, quòd temporalibus muniatur armis, diuinitus defensam dici, ridiculum esse?

Ergo cum Israelitæ in Amorrhęorum Castra Gabaonitas obsidentia, eos debellaturi vim fecerant, ridiculum erit, affirmare, super Amorrhæos Dominum grandinis lapides magnos immisisse; quibus multo plures, quàm Hebræorum gladio percussi sunt. Enimuero arma temporalia habebant Isdraelitæ, quibus se ab hostibus tueri, quibusque illos arcere à suis finibus poterant. Non ergo verum, immò ridiculum, asserere, vehementi grandine illos concus-

custos. O ridicula capita? Ecquis isthæc effutiet præter vos, quibus contraria omnia excipiuntur; ita vt mellis dulcor, tamquam fellis amaror habeatur: ipsaque albedo, nigredo putetur: solisque radij, noctis nigrantes crines esse, existimentur.

Verùm, cum sine armis res ipsa geri posse visa est, absque illis res ipsa composita, pacisque fuit accepta conditio. Hinc Leonem huius nominis primum, virum Sanctissimum, Attilæ Hunnorum Regi, Italiam inuadenti, cædes & incendia vbique minanti, sola oratione frenum iniecisse: sola eloquentia barbari Regis ferociam edomuisse legimus. Necnon Zachariam Romanæ Ecclesiæ Antistitem Luithprando Insubrorum Regi, Ecclesiasticum Patrimonium deuastanti, cum Clero obuiam processisse: Tyrannum ab incepto repente deterruisse: qualque Ecclesiæ inuaserat Vrbes eidem restituere coegisse, Annales referunt.

Cum verò hostium bella vehementius videbantur ingruere, nec vlla pacis honesta conditio satisfaciebat, Romanos quoque Pontifices armis restitisse legimus. Quos inter Gregorius Magnus Romam à Longobardis obsessam non tam oratione, quàm temporalibus armis defendit: Et, cum suis non posset,

Theo-

Theodorici, Italiæ Regis tyrannidem repressurus Ioannes huius nominis Primus, Iustini Imperatoris implorauit arma: quod alij quoque plures fecerunt.

Verùm ne in his iusto longius vagemur: Quid obstat affirmare, Sacram Domum diuinitus defensam, licèt alijs muniretur armis? Hoc sanè diuinum fatemur, cum, collectis armis ad nostra defendenda, cælestis superuenit gratia, quæ prodigio aliquo hostes deterreat. Quod sæpius ibidem contigisse ex fide dignorum hominum relatione, & antiquis monumentis cognouimus, ipsa Virgine Domum suum diuinitus ab hostibus vindicante.

Quod quidem mirum non est, Beatissimam Virginem fecisse: quæ, vt alij etiam gloriosè victoriam consequerentur, intercessione effecit sua. Hinc Constantinus Magnus ob singularem erga Virginem pietatem, cui inter cætera Vrbem Constantinopolitanam dedicarat, quos non edomuit hostes, quos non retulit triumphos? Heraclius Imperator, qui Beatissimæ Virginis imaginem, vt ob oculos haberet, in manibus semper gestasse, fertur, aduersus Persas, quorum armis opprimebatur, felicissimè pugnauit. Quemadmodum etiam Ioan-

Ioannes Comnenus, alijque Imperatores eodem Virginis beneficio gloriosa quidem bella gessere: Et ex Estensibus Principibus Comes Mathildis, eorumdem Imperatorum pietate, ac religione in Virginem, mirum dictu est (vt Baronij verbis vtar) quantum in Christiana vita profecerit, quantum se super cæteras fœminas exaltauerit, quantum super omnes Reges, & Principes eminentior apparuerit, & fortior sit inuenta etiam robore militari. An. 1108

Quod autem Aduersarij superaddunt, arma esse Ecclesiæ interdicta (quod certe vellent, vt Pontificiam authoritatem, temporalibus destitutam armis, possent irridere) vnde sit hæc assertio profecto ignoratur: Velim, rogo, vt interdictum hoc ex ipso Euangelio producant; non enim satis est, afferre Christi verba:* Si quis te percusserit in dexteram Maxillam tuam, præbe illi alteram:* Et:* Ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*: Etenim hæc ad religiosam spectant perfectionem, & ad eius, significationem, quod cuique faciendum per se est. Sciebat enim Christus, futurum in Ecclesia sua Principatum, qui non tantùm diuinis, sed humanis etiam ad sui defensionem muniendus esset armis. Quod probat S.

Ber-

Ep. 256. ad Eug. Papam. Bernardus, qui scribit, negantem materialem gladium Papæ, non bene attendere ad verba Domini, dicentis:* Conuerte gladium tuum in vaginam:* Et vtrumque (paullò iam ante dixerat:* Ecce hic duo gladij*) esse Petri: alterum suo nutu, alterum sua manu, quoties opus esset, euaginandum. Cui consentiunt,
Epist. ad German. Patriarc. Constantinopolit. quæ Gregorius (scribit:) nam inquit:* Ex lectione Euangelica vterque gladius ad Romanum Pontificem pertinet; Etenim, loquente IESV Discipulis de acquisitione gladij spiritualis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Dominus dixit, sufficere ad cohibitionem spiritualis, ac temporalis offensæ: aduertitque, quod si conceditur, materialem gladium pertinere ad potentiam temporalem, attendendum est, quod in Matthæi Euangelio Dominus dicit Petro:* Conuerte gladium tuum in locum suum.*: Et dicendo, tuum, materialem gladium significat, quo percussit ille seruum Principis Sacerdotum: nec aliquem dubitare de spirituali; cum ei per cuiusdam specialitatis apicem ligandi, atque soluendi commiserit potestatem.* Huc vsque Gregorius. Idque euidentissima ratione conuincitur, quia secùs, posset euenire, vt Ecclesia nullo pacto consisteret, dum, contemptis spiritualibus armis,

mis, non altera haberet, quibus timeretur, & obseruaretur: Vel ipse Deus prodigia è Cælo facere continuè, ne ipsa penitus intercideret, cogeretur; quod absurdissimum esse, quisque affirmabit.

Ex quibus patet, Deum non solùm adfuisse, & adesse Fidelium, armis etiam temporalibus decertantium, votis; sed vtrumque gladium Ecclesiæ suæ dedisse.



SAGITTA XXXI.

Festum translationis S. Domus sine vlla ratione celebrari.

CLYPEVS.



ADEM semper chorda, vt dicitur à Musicis, noster oberrat Aduersarius. Rationis, vt cæteri homines, se esse participem aliquo modo vellet ostendere, sed expertem admirantur omnes. Ratio quid nam sit nescit: nobisque Festum Translationis sanctissimæ Domus sine vlla ratione celebrari obijcit.

Festorum celebrationis præclarè finem exponit D. Augustinus, qui ait: *Ea quippe anniuersariè in Ecclesia celebrantur, quæ insigniter excellentia certis diebus facta sunt, vt eorum anniuersariam, salubremque memoriam festiuitas concelebrata custodiat:* Et alibi: *Nos vni Deo Deorum (inquit) beneficiorum eius solemnitatibus festis, ac diebus statutis dicamus.*

Lib 23. c. 12. cotra Faustum.

Lib. 10. c. 4. de Ciuit. Dei.

mus, ſacramuſque memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat obliuio.

Cum igitur cauſa, cur in Eccleſia feſti dies ſint ſtatuti, ea ſit, vt à reliquis humanis actibus feriantes, Dei beneficia potiſſimùm accepta recolamus; non immeritò ſtatutum eſt ab Eccleſia, vt in Piceno, quod peculiari Domus ſuæ dono Beatiſſima Virgo voluit inſignire, huius ſingularis beneficij memoria quotannis renouetur. Quid enim fini, ad quem Feriæ inſtituuntur, obſtat, quo minus ſit recolenda memoria, qua die tantum fuit S. Domus Tranſlationis editum miraculum?

Quæ quidem ratio, vt ſcilicet ab Eccleſia diuinorum beneficiorum recordatio Fidelium mentibus ingeratur & ne ingrati animi crimen ſubrepat, ne ſubrepat obliuio, tanti eſt ponderis, vt, veritate ex re ipſa conſtante, ſi Scytha, ſi Infidelis quiſpiam adhiberetur arbiter: noſque eiuſmodi Feſtum diem inſtituiſſe diceremus, vt beneficij memores eſſe videremur, nos omni quidem ratione dictum diem feriari, aſſeueranter affirmaret.

Verùm, candide Lector, ad prauam Aduerſarij voluntatem dignoſcendam, ex illo ambo quæramus, quid ſi vnquam accideret, quod certè nunquam, vt Eccleſia Lutherum,

Caluinum, Zuinglium, Bezam, Melancthonem, aliosque, quos iam damnatos, suæ temeritatis, & impietatis pęnas apud Inferos luere, certissimum est, dignos veneratione esse, eorumque memoriam quotannis celebrandam decerneret; hancne sententiam, acclamationibus exciperent? Profectò diceres, omni quidem ratione constitutum esse, huiusmodi Viros, qui eam animæ libertatem concessere, quam numquam Epicurus, Nero numquam, numquam ipse Heliogabolus concessissent, dignos esse veneratione. Vnde autem hæc acclamatio, nisi quod eam rationem deprauata voluntas sequeretur, quæ veris rationibus minime acquiescit. Proindeque etiam nunc Aduersarius Festum Translationis S. Domus sine vlla ratione celebrari dicit; quia eius praua, & corrupta mens non intelligit nisi, quod deprauatum, corruptumque sit.



SA-

SAGITTA XXXII.

Idòlum Lauretanum esse maius omnibus Idòlis Christianorum.

CLYPEVS.



PPORTVNE Sacræ Eloquentiæ Pater, commune illud omnibus Hæreticis semper fuisse vitium admonuit, vt cæca errandi libidine ducti, non vno, vel altero errore contenti sint, sed per continuos errorum anfractus incedentes, in peius semper prolabantur; ea namque est errorum natura, vt sisti nequeat. Plena temeritatis, atque impietatis in Sacram Domum maledicta hac sacrilega prorsus coronide claudenda erant, vt Fidei desertores nostram etiam Fidem accusarent: & canina rabie delirantes dicerent: Idòlum Lauretanum esse maius omnibus Idòlis Christianorum. Proh caput insanum? Quis vnquam ex Fidelibus nostris adorauit Idòla, Vobis exceptis, quibus Deus venter est, quem colitis, quem

quem veneramini, quemque contristari verremini vel ieiunijs, vel vigilijs, vel macerationibus; sed hæc omnia despicatui habentes, quicquid concupiscentia suadet, obsequimini?

Idòlum, vt ad caput redeamus, dicitur formula, qua quid exprimitur: Idololatria verò est illius formulæ adoratio, quæ tunc fit, quando quis formulam illam Deum existimat, & tamquam Deum adorat, secundum illud Tertulliani: *Cecidit igitur in Idololatriam, qui Idòlum nomine Dei honorauerit.*

In libello de Idololatr.

Nos autem Fideles, qui Imagines Sanctorum dicimur adorare; haud illos Deos credimus, quod esset Idololatriæ inhærere, sed Dei Seruorum Imagines veneramur, non secus ac quando conspicimus in tabulis insignium Virorum Imagines: eumque illis præstamus honorem, quo dignos arbitramur illos, quorum sunt Imagines; Scurræ enim deridemus, Ducis, & Principis admiramur: Sanctorum verò, vtpote quos cum Deo viuentes credimus, colimus; Si enim dubitandum non est, sanctimonia præstantes viros cum Christo regnare, cur eorum Imagines aliquo non sunt honore dignandæ?

Hinc in Nicæna secunda Synodo Basilius Ancyranus Episcopus, qui prius Iconoclastis adhæserat, ad meliorem frugem reuersus, veritate

co-

cognita, crimen deteſtans, in confeſſione, quam publicè toti recitauit Patrum Senatui; hæc voluit teſtata eſſe:* Qui aſſerunt, Chriſtianos vt Deos Imagines adorare; Execratio.* & infra.* Qui audent dicere, Catholicam Eccleſiam aliquando Idòla ſuſcepiſſe; Anathema.* Et Theodoſius Amorij Epiſcopus in ſua confeſſione contra Iconoclaſtas, quos antea aliquando defenderat, in eadem Synodo, ſic expreſſit:* Qui in ſanctas, & venerandas imagines blaſphemias congerunt; Anathema.*

Cur autem nunc vos Lemanici lacus fœdiſſima monſtra, iterum Iconoclaſtarum errores ſectantes, nos Idololatras vocitare audetis? Proh dictum execrandum? Idòlum Lauretanum eſſe maius omnibus Idòlis Chriſtianorum? Quod eſt, & quale iſtud à vobis dictitatum Idòlum Lauretanum? An quod Domum illam, in qua Virginem natam, Chriſtum conceptum, eumdemque ad adultam ætatem educatum credimus, veneramur? Et quo pacto appellatum Idòlum? Num lapides, lateres, calcemque, qua coagmentati parietes, pro Dijs habemus? Quemlibet ex noſtris vel paruulum, dummodo ratione ſit vtens, accerſite, & ex eo percontemini: Num lapides Domus Lauretanæ Deos credat, reſpondebit certè, ſe vnum Deum colere, ac

ve-

venerari, rerum omnium effectorem. Secùs quis tam inſulſus, præter vos, hoc crederet? Nos enim lapides illos pro lapidibus habemus, ſed oſculamur, & venerationis cauſa religioſius attrectamus ea ipſa, quæ à Virgine, quæ à Puero IESV ſæpius fuerunt contacti. Quænam igitur eſt hæc noſtra Idololatria? Eodem pacto dici potuiſſent Idololatræ etiam fideles Hebræi, cum Arcam Dei venerarentur, quam obſeruationis ergo neque verebantur attingere. Proh impudens dictum: Idolum Lauretanum?

Verùm fortaſſis Idolum vocitabunt Beatiſſimæ Virginis ſimulachrum in eadem Domo tranſlata repertum; quod facile credi poteſt ex his, quæ dixit Beza in Colloquio Mompelgartenſi:* Fateor me ex animo Crucifixi imaginem deteſtari:* Et poſt eum Dauid Parcus Caluiniſta, qui de Crucifixi imaginem venerantibus ait:* Mutant gloriam Dei, & Idololatræ ſunt, non ſoli Gentiles, qui vel Homines, Boues, Volucres, Serpentes, Solem, Lunam, Stellas, Herbas, Fortunam, vel harum rerum Imagines pro Dijs colunt; ſed etiam inter Chriſtianos omnes illi, qui Imaginem Chriſti crucifixi in Templis ad repræſentandum Chriſtum, & ad docendum rudiores de Chriſto tuen-

In cap. 1. Ep. ad Romanos dub. 18.

tuentur. Si enim Christi imaginem detestantur, mirum non est, Virginis quoque eiusdem Matris figuram aduersari. Poterat ne quid detestabilius dici? à sacrilego quidem ore æque ac animo aliud auribus ingratiùs eudomi minus poterat.

Contra quos stat Epistola Tharasij Patriarchæ Constantinopolitani in secunda Nicæna Synodo recitata: in qua hæc habentur: *Iuxta antiquam Constitutionem (antiquam sanè, quæ multas antecedat ætates, sæcula prætereat) Imaginum picturam ad instructionem, & memoriam mentis nostræ Ecclesia recepit; Quicquid enim sanctum Euangelium per lectionem nobis demonstrat, hoc idem Imagines per inspectionem: Quicquid item libri de passionibus Martyrum narrant, hoc ipsum etiam Imagines signant: Quas recipimus tamquam effigurationes prototyporum. Hactenus Tharasius.*

Et ad idem faciunt, quæ Theodorus Studita, ad Iconomachorum Principem Leonem Isauricum scribens, adducit: *Neque ipsum (inquit) salutare nomen reueritus es, vt idola sacras Imagines appellares? Vnde, & à quo doctus? Aut quisnam est, qui te docuit, Imaginis, atque Idoli vnam esse vocem? Hoc Orat ad Leonem Isauricū.

Cc enim

enim nec Patrum vllus vmquam sensit, neccres ipsæ ferunt, vt dicatur. Qui enim, cum infinito spatio inter se dissideant, non nominis solùm appellatione, sed multo magis Archetypi substantia? Idòlum enim appellatur, quod Dæmonis, aut alterius cuiuspiam ex ijs, quæ Gentiles turpiter pro Dijs coluerunt, speciem repræsentat, fædi fædius, & mali deterius; qualis enim causa, tale prorsus est causatum: & cuius abominandum est prototypum, nihilominus abominanda est imitatio: Imaginis autem & honorandum est archetypum; Sancti enim alicuius, & Sanctorum Domini figuram depingit: & quæ in tabula depicta est effigies digna item animaduersione.* Hæc Theodorus.

Cui adstipulantur quæ Gregorius huius nominis secundus Pontifex scribit ad eumdem Leonem, ex nostra Imaginum veneratione inferentem, nos lapides, & parietes, & tabulas adorare: *Non ita est (inquit) vt dicis, Imperator, sed vt memoria nostra excitetur, & vt stolida, imperita, crassaque mens erigatur, & in altum prouehatur per eos; quorum hæc nomina, & quorum appellationes, & quorum hæ sunt Imagines.* Hactenus ille.

Dialogo de sacris Imagin.

Sed inflatæ buccæ vinum eructantium, & crapulam, nil aliud personant, nisi Idòlum

Lau-


Lauretanum. Acutum siquidem scomma, oboloque dignum. Quod sane ipsimet Authores detestari debuissent, si aduertissent ad sola Augustini verba aientis: * Quisquis honorat Martyres (quanto magis Beatissimam Deiparam) honorat & Christum: & qui spernit sanctos, spernit & Christum. * Sermone 26. de sanctis.

Quod si adhuc quisquam Iudaico animo ea nobis obijciat, quæ in eos, qui in Idola insano ferebantur amore, dici solent: Ecclesiamque nostram Idololatriæ propter venerandarum Imaginum diuina, & admiranda ad excitandam, adiuuandamque pietatem studia, insimulet; * Habeatur hic (sunt verba Gregorij Magni iam mille ab hinc annis in septima Synodo coram trecentis quinquaginta Episcopis contra eadem opponentem prolata) non alius ac Canis oblatrans, & in funda quàm procul à nobis abijciatur.

EX quibus omnibus (ni fallor) perspicuè apparet, in Miraculo tanta euidentia diffamato, tanta perspicuitate declarato, vt nequeat aut occultari, quod est factum, aut negari, quod extat: Veritatem execrantes, non alio fuisse adactos impulsu, quàm qui mouit Phariseos, cum de Chri-

ſto multa ſigna faciente dictitarent: *Quid facimus ? quia hic homo multa ſigna facit.* Nec obſcurè dignoſcitur, noſtram munitiſſimam Turrim, inuiſibili Dei manu quolibet fundamento firmiore ſubſtentari: muro ſuo inexpugnabili circumcingi: & armis ſuæ potentiæ protegi. Ac den que conſtat, Hæreticos, ſagittis plane Tartareis è Pharetra cordis in eamdem Turrim eiaculatis; rebus ſuis deplorantes, cogi dare velint, nolint miſerandas manus; qui vt eos infelicius pugnaſſe conſtaret, iſthæc ſuæ cladis perpetua debuerunt monumenta ſuſpendere.





INDEX.

Ca-

C

Da-

INDEX.

D.

Ec-

E

F

G

H

I

Lam-

L

M

N

O

Of-

P

Psal-

Q


R

S

Se-

T

V



INDEX AVTHORVM, quorum teſtimonio in Opere vtimur.

Ee Io-

83 Iofephus Hebr.
520 Iouius.
175 S. Irenæus M.
630 S. Ifidorus.
1503 Iulius II.
150 S. Iuftinus M.
70 Iuuenalis.

L

1500 Leander Albertus.
144 S. Leo I.
1510 Leo Decimus.
1100 Leo Oftienfis.
1564 Lindanus.
ant.C. Liuius.
108 Lucianus.

M

1620 Maphæus Barberinus.
304 S. Marcellus Papa.
ant.C. Marc. Tull. Cic.
ant.C. Martialis.
80 Martinus Cromerus.
1500 S. Maximus.

N

1310 Icephorus.
818 Nicolaus PP. I.

O

233 Origenes.
1560 Oforius.

P

498 S. Paulinus.
1500 Paulus Æmilius.
1464 Paulus II.
42 Philo Hebr.
1566 Pius V.
ant.C. Plato.
70 Plinius.
122 Plutarchus.
120 S. Polycarpus.
1495 Polydorus Virg.
260 Pontius Diaconus.
450 Poffidonius.

Q

34 Q. Curtius.
90 Quintilianus.

S

60 Seneca.
482 S. Simplicius Papa.
1585 Sixtus V.
634 Sophronius.
1620 Spondanus.
700 S. Stephanus Confeffor.
ant.C. Strabo.
144 Suetonius.

T

220 Tertullianus.
460 Theodoretus.
1265 Theodorus Clictouęus
796 S. Theodorus Studita.
1071 Theophilactus.
ant.C. Theopompus.
1265 S. Thomas Aquinas.
ant.C. Thucydides.

V

ant.C. Virgilius.

X

ant.C. Xenophon.

Z

1107 Zonaras.

VRBANVS
PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

CVm sicut exponi nobis nuper fecit dilectus Filius Ludouicus Centoflorenfius, ipse vnum Clypeus Lauretanus aduersus Hæreticorum Sagittas, & alium Clypeus Tridentinus aduersus Hæreticorum Sagittas, nec non tertium libros Praxis Canonica Romanæ Curiæ respectiue nuncupatos à se compositos typis in hac alma Vrbe nostra imprimi facere intendat, vereatur autem, ne postmodum alibi non ea, qua par est, sedulitate, & forsan cum mendis imprimatur; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, vt desuper opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur d. Ludouicum specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati: Eidem Ludouico, vt quindecim annis proximis durantibus à primæua dictorum librorum, dummodo tamen illi antea à dilecto Filio Magistro Sacri Palatij Apostolici approbati sint, impressione computandis; nemo tam in Vrbe, & reliquo statu Ecclesiastico mediate, vel immediate nobis subiecto, quàm extra illum vbiuis opera prædicta sine speciali d. Ludouici, aut eius Hæredum, & Successorum, vel ab eis causam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel alijs impressa vendere, seu venalia habere, seu proponere possit, & valeat, Apostolica authoritate tenore præsentiũ concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuersis vtriusq; sexus Christi fidelibus præsertim Librorum Impressoribus etiam extra statum prædictum existentibus sub excommunicationis latæ sententiæ, ac quoad eos, qui in districtu existunt, etiam quingentorum ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum & typorum omnium pro vna Cameræ nostræ Apostolicæ, ac pro alia duabus partibus Accusatori, & Iudici exequenti irremissibiliter applicandorum, & eo ipso absque vlla declaratione incurrendis pœnis, ne quindecim annis huiusmodi durantibus opera supradicta, aut aliquam eorum partem tam in Vrbe, quàm extra illam vbiuis sine huiusmodi licentia imprimere, aut alibi ab alio, vel alijs impressa vendere, vel venalia habere, seu proponere quoquomodo audeant, seu præsumant. Mandantes propterea dilectis Filijs nostris, Apostolicæ sedis de latere Legatis, seu Vicelegatis, aut Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iustitiæ Ministris Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & Locorum status nostri Ecclesiastici, quatenus eidem Ludouico, eiusque Hæredibus, & Successoribus, seu ab eis causam habentibus huiusmodi in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, quandocumq; ab eodem Ludouico, seu alijs prædictis fuerint requisiti pœnas prædictas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis statutis, & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam in ipso opere impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die decima Aprilis 1634. Pontificatus nostri anno vigesimo.

M. A. Maraldus.

Quæ aut Correctoris incuria, aut Impreſſoris feſtinatione errata aduertimus, hæc ſunt.



Pagina.		*Linea.*	*Error.*	*Correctio.*
In ded. PP.	2	8	Traianorum,	Troianorum.
In pręf. ad lec.	2	6	æmanaſſet	emanaſſet
	19	1	In margine	Iudic. cap. 4.
	26	23	iuſſit	iuſſiſſet
	52	18	factitatis	iactitatis
	53	24	edificabo	ædificabo
	63	20	Pius 2. Senenſis	Iulius 2. Sauonenſis
	63	23	victor is	victorijs
	65	24	matre	Coniuge
	82	1	hi	ij
	92	8	citra	circa
	93	23	religoinis	religionis
	102	24	iam præcitata	(dele)
	103	22	ex remiſſis	ex remiſſis
	105	14	Qua	Hac
	107	19	tactorio	tectorio
	122	9	effuſit	effutit
	123	9	peruaſum	perſuaſum
	123	22	prorſus	pronus
	124	21	nobiliſſima	nobiliſſima
	131	14	Dirutum	dirutum
	132	27	fidelium	fidelium
	134	9	inueſtigandas	inueſtiganda
	142	21	exclamatioue	exclamatione
	151	3	ſiue	ſine
	154	6	tantùm	dele
	162	4	ſuo	ſue
	166	8	Victor	Vinitor
	171	18	excerpitis	excerpis
	173	1	Al arum	aliarum
	179	12	dicens	dicis
	185	26	Seyro	ſuper
	197	18	fit	eſt
	198	2	ve remini	veremini
	199	11	laſphemias	blaſphemias

